

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

M. TULLIUS CICERO

QUATENUS ARTIUM OPTIMARUM AMATOR EXSTITERIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

EUGENIUS RIGAL

IN FACULTATE LITTERARUM AQUENSI COLLOQUIIS PRAEPOSITUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

M DCCC XC

M. TULLIUS CICERO

COLUMBARIIS
Ex typis Pauli Brodard et Gallois.

M. TULLIUS CICERO

QUATENUS ARTIUM OPTIMARUM AMATOR EXSTITERIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

EUGENIUS RIGAL

IN FACULTATE LITTERARUM AQUENSI COLLOQUIIS PRAEPOSITUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

M DCCC XC

DOCTISSIMO VIRO

MAX BONNET

In Facultate litterarum Montipessulanensi professori

PARVULUM HOC GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

DISCIPULUS

D. D. D.

M. TULLIUS CICERO

QUATENUS ARTIUM OPTIMARUM AMATOR EXSTITERIT

PROOEMIUM

Quanto ingenio M. Tullius praeditus fuerit, quanta et quam merita in litteris laude floruerit, quantum nomini Romano decus vel eloquentiae vi copiaque, vel innumerabilium scriptorum lepore, nitore, magnificentia addiderit, multi et antea demonstraverunt et postea demonstrare conabuntur. Aliud nobis proposuimus, quod paucis verbis oportet significemus.

Primum enim, M. Tullius non ea natura fuit, ut, nihil aliud curans et suimet ipse oblitus, in optimis artibus versaretur; deinde, non iis temporibus vixit quibus, ut Vergilius, Horatius, Livius, recentioresque quam multi, minime civibus consulens, nullo temporis puncto intermisso, omnem aetatem in litteris posset agere. Sed, cum horum laudibus efferretur, illorum maledictis oppugnaretur, vir gloriae avidus summo opere contendebat ut his cumulate satisfieret, illos levitatis paeniteret; et cum cujusvis doctrinae principatum vellet obtinere, scriptor

M. TULLIUS CICERO

QUATENUS ARTIUM OPTIMARUM AMATOR EXSTITERIT

PROOEMIUM

Quanto ingenio M. Tullius praeditus fuerit, quanta et quam merita in litteris laude floruerit, quantum nomini Romano decus vel eloquentiae vi copiaque, vel innumerabilium scriptorum lepore, nitore, magnificentia addiderit, multi et antea demonstraverunt et postea demonstrare conabuntur. Aliud nobis proposuimus, quod paucis verbis oportet significemus.

Primum enim, M. Tullius non ea natura fuit, ut, nihil aliud curans et suimet ipse oblitus, in optimis artibus versaretur; deinde, non iis temporibus vixit quibus, ut Vergilius, Horatius, Livius, recentioresque quam multi, minime civibus consulens, nullo temporis puncto intermisso, omnem aetatem in litteris posset agere. Sed, cum horum laudibus efferretur, illorum maledictis oppugnaretur, vir gloriae avidus summo opere contendebat ut his cumulate satisfieret, illos levitatis paeniteret; et cum cujusvis doctrinae principatum vellet obtinere, scriptor

facultate excellens nova semper studia exercere aut proferre in animo habebat; et quoniam Romana gens, postquam Graecos armis superavit, etiam pacis muneribus et artibus in ipsa Graecia inventis victos adaequare studebat, civis amans patriae praeclarissimis, ut ita dicam, Graeciae direptae ornamentis attonitam Urbem decorare nitebatur. Praeterea, cum summis honoribus et administrandae rei publicae, quamdiu aliqua fuit res publica, mirabiliter inserviret, multis saepius causis impediebatur quo minus optimas artes excoleret, aut a se excultas profiteretur; aut contra, iisdem artibus operam dando, et litteris deditos homines observando, tuendo, defendendo, suo ad rem publicam amplissimumque honoris gradum aditui praecipue prospiciebat.

Quae cum ita sint, operae pretium fore nobis visum est, si, quanti litteras colendas M. Tullius fecisset, quanti autem honores adipiscendos famamque omni ratione quaerendam, investigavissemus. Quo facto Ciceronem repperimus, cum optimas artes et propter ipsas amaret et libentissime tractaret, honoribus tamen et laudi eas postposuisse; adulescens enim iis potissimum studiis vacare decrevit quibus citius orator fieri et magistratus assequi posset; posterius ad dilecta studia tum solum se revocavit, cum a re publica prohiberetur, nec se per litteras de muneribus amissis consolatus est. Cum autem litteris sese informatum sentiret, familiamque suam litteris informari voluisset, ut optimatibus simul et plebi, quorum perutilis sibi opera futura esset, morem gereret, eruditum se esse optimatibus professus est, apud plebem contra se rudem diutius finxit. Libros autem, quos tam multos tantaque admiratione dignos habemus, animi

certe ac voluptatis causa composuit; quibus tamen quae de re publica sentiret praedicavit, et adversariis restitit, et patriam sermonemque et scriptores patrios venditavit, et, dum Graecorum disciplinas in Urbem perfert, cum nobilissimis scriptorum conferendum se gloriose praebuit. Denique non gratuito fere, sed ut sibi reique publicae amicos tum alliceret, tum retineret, multorum studiis favit, multosque vel adulescentes eloquentiam docuit vel jam doctrina praestantes viros aliquo beneficio affecit.

Quam disserendi materiam, pro meis quidem viribus non satis exiguam, suscipiens, moleste fero multa vetustate consumpta esse, per quae quanto opere artibus optimis delectatus sit, aut quae illi cum ceteris illius aetatis philologis societas fuerit perspicere licuisset. Nempe quo illa Ciceronis vita abiit a Cornelio Nepote conscripta? quo illae epistulae quas M. Tullius ad Brutum et Calvum misit, Atticos, ut ipsi volebant, oratores? ad Caerelliam, lectissimam feminam et philosophiae studiosam? ad Cornelium Nepotem, litteratissimum virum et cum litteratissimis conjunctum, cui, cum nulla, ut videtur, ratione in rebus publicis versaretur, de artibus optimis potissimum cum familiaribus sermonem fuisse verisimile est. Supersunt certe nec mediocri nobis usui sunt ad Atticum missae epistulae; quam multa vero ignoramus de quibus inter se, cum simul essent, litterarum illi amatores ambo communicare solebant, quae ad illustrandam rem nobis propositam apte conducerent!

Nostrum autem argumentum aggredientes, multa quidem ab ornatissimis viris, qui ante nos his de rebus scripserunt, ac praesertim a Boissierio, Tullianarum

rerum diligentissimo et sagacissimo narratore[1], exposita non poterimus quin usurpemus. At primis de universa saltem quaestione hac : « Quatenus M. Tullius artium optimarum amator exstiterit » disputationem instituentibus facilis, lector, ignoscas velim.

1. Gaston Boissier, *Cicéron et ses amis, étude sur la société romaine du temps de César*. Paris, Hachette, 3e éd.

CAPUT I

CICERO NUM OPTIMAS ARTES PROPTER IPSAS AMAVERIT ATQUE ILLARUM STUDIUM LAUDI ET SUMMIS HONORIBUS ANTEPOSUERIT

I. Artium optimarum vere amans, iis tamen studiis Cicero se dedit, per quae ad eloquentiam et ad honores accedere possit; quos autem legit scriptores, prout oratori utilitatem praebent, aestimat. — II. Pulchris libris ex animo, statuis autem et tabulis pictis ad ostentationem Cicero delectatur; omnes fere artes, ne imperfectus orator fiat, sed primoribus tantum labris, attingit. — III. Litteratos homines magistrosque inprimis suos, non tamen prorsus gratuito, Cicero diligit. — IV. Liberos et propinquos Ciceronum nomine dignos efficere Cicero conatur: servos quosdam litteris ipse imbuit, quorum officiis adjuvetur. — V. Numquam litteris ita consolari et abdere se Cicero potest, ut amissos honores desiderare et rursum persequi desistat.

I

Antequam ex pueris excessit M. Tullius Cicero, jam a patre, lectissimo viro, et a patris familiaribus incitatus erat, ut artium honestarum simul studiosus fieret et aliquam in re publica personam suscipere cuperet; pater enim, « qui, cum esset infirma valetudine, aetatem fere egit in litteris [1] », pueri animum disciplinis institutum

1. *De leg.*, 2, 1, 3. — Ciceronis scripta usurpavi a C. F. W. Mueller, A. S. Wesenberg, Guilelmo Friedrich recognita et in bibliotheca Teubneriana, Lipsiae, edita. Libros tamen qui *De oratore, Brutus, Orator,*

suis oblata rerum Romanarum memoria [1] accendebat, familiares flagrantem studio laudis in spem impellebant posse virtute se, sine praesidio fortunae, quo contendisset, labore et constantia pervenire [2]. Ut igitur, sumpta virili toga, a patre ad Q. Scaevolam deductus est [3], quo nemo in jure dicundo prudentior habebatur, Lucioque Crasso, oratorum qui quidem tunc erant praestantissimo, ita deditus fuit, ut ea disceret quae Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiretur [4], omnem continuo rationem iniit, qua et litteris eruditissimus et ad capessendos in re publica honores paratissimus posset evadere; quas quidem duas res cum haud dissimiles inter se, nedum repugnantes, existimaret, non iis morem gessit, qui, quo facilius incensum studio discendi a doctrina deterrerent, inanem fore omnem ejus laborem denuntiabant, falsoque praedicabant L. Crassum paene, Marcum autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum esse [5].

Quae autem praecipue ars colenda esset non poterat dubitare. Eccui enim, nisi eloquentiae, maxima semper in Urbe praemia proposita fuerant? Ecquae, nisi eloquentia, primas semper in re publica tenuerat? Qua-

De optimo genere oratorum inscribuntur, cum nondum a Friedrich sint recogniti, in Baiteri et Kayseri altero volumine perlegi, Lipsiae apud Tauchnitium edito. Denique orationum *pro Archia poeta* et *in C. Verrem* IV et V exempla ab Aemilio Thomas nuper egregie curata et Parisiis apud Hachette edita adhibui; *epistolarum* autem *ad T. Pomponium Atticum libros XVI*, ab I. C. G. Boot anno 1886 iterum, Amstelodami, apud Johannem Mueller prolatos.

1. *De off.*, 3, 19, 77; *pro Balbo*, 5, 11.
2. *Pro M. Scauro*, 1, 6.
3. *De amicitia*, 1, 1.
4. *De orat.*, 2, 1, 2.
5. *De orat.*, 2, 1, 1.

propter M. Tullius in illa « domina rerum [1] » plurimum operae et curae ponere non dubitavit, oratoresque qui tum principes numerabantur audivit, nobilissimisque magistris, vel Romae, vel, postquam ut suam dicendi facultatem confirmaret ex Urbe exiit, in Graecia et in Asia studiosum se tradidit. Cum autem multos audire satis non haberet, cottidie legebat, scribebat, commentabatur; graece declamabat, qua in exercitatione ad praeturam usque non cessavit [2]; latine vero ne doceretur cum primum doctorum hominum auctoritate impeditus esset, qui existimarent graecis exercitationibus ali melius ingenia posse [3], mox ipse cum M. Pisone et cum Q. Pompeio ita coepit declamitare [4], ut ne senior quidem, dummodo otium esset, destiterit. Quem tantum laborem, voluptates omnes obterens, studia delectationis relinquens, assumebat, non magis ut more suo viveret, quam ut animos hominum novo et, ut ita dicam, perfecto genere dicendi ad se converteret, nec, ut Hortensius ille, summum studium tum maxime, cum procedere laude oporteret, remittendo, sui dissimilior cottidie fieri videretur [5].

Sapiens id quidem; hoc tamen sapientius, quod ingenio diffisus suo non exercitationum modo, sed etiam doctrinae reconditioris adjumenta quaesivit, eloquentiamque majore et uberiore arte corroboravit. Num enim sine doctrina orator nomen obtinere suum potest [6]?

1. *De nat. deor.*, 2, 59, 148.
2. Vide Suetonium, *De rhet.*, 1.
3. *Ibid.*, 2 (Cic. ad M. Titinium epist.).
4. *Brut.*, 90, 310.
5. *Brut.*, 93, 320.
6. *De orat.*, 2, 9, 38.

Nonne e philosophiae fontibus copiosa, luculenta, gravis oratio manet necesse est? Quare, cum ipse tali animo esset, ut philosophia illisque, ut ait, mansuetioribus musis delectaretur, eo acrius in illas incubuit, a quibus eximium oratorem posse effici persuasum haberet; atque illi arti multum temporis tribuere non dubitavit, qua munitior et brevior ad eloquentiam, laudem, honores via pararetur. Quis hanc Ciceroni fuisse voluntatem infitiari velit? Quis illum non nisi studii et delectationis causa philosophiam coluisse contendat? Ille quidem, si Plutarcho fidem habemus, familiares jubebat non oratoris se, sed potius philosophi nomine vocare, quippe qui philosophiae operam dando maluisset aetatem consumere, eloquentia autem ideo tantum usus esset ut ad honores niteretur [1]; at idem ille, cum seniori per labefactatam rem publicam philosophiae vacare liceret, non modo ob res commutatas, sed etiam ob exstinctam suam vocem et depositam quam diu gesserat personam, in maerore jacuit : « Atque utinam, inquiebat, res publica stetisset, quo coeperat, statu!... Primum enim, ut stante re publica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus [2]. »

Atque antea, cum adulescenti decernendum esset cui potissimum generi philosophorum assentiretur, postquam attentas aures et Philoni Academico, et Stoico Diodoto, et Epicureis Phaedro Zenonique dedidit, illam demum perfectam philosophiam judicavit, « quae de

1. *Cic. vita*, 32.
2. *De off.*, 2, 1, 3.

maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere [1] »; illa semper plus est usus, « quae pepererat dicendi copiam, et in qua dicebantur ea, quae non multum discreparent ab opinione populari [2] »; illam, ne multa verba faciam, amplexus est, quae ad facultatem dicendi augendam et ad informandum qui populo placeret magis accommodata videbatur. Quare factum est ut, quamvis Cicero probitate, aequitate, continentia, virtutibus aliis, inter omnes, ut in tam corrupta civitate, excelleret, minus tamen quam putabat philosophiae praesidiis saeptus esset [3], et minus fortasse quam oportuit sua vita hanc philosophiae laudem comprobaret : « Medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores [4] », has contra gratias Academiae meritissimo egerit : « Fateor me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse [5] ».

Cum autem eloquentiae quae scientia juris careret deesse summum robur, et sententiarum silvam, et cibum, ut ita dicam, quo aleretur, necesse esset, juris peritus fieri voluit ac re ipsa ita factus est, ut senior non amplius orare causas, sed omnibus de jure respondere, nec jam voce, sed consilio civibus opitulari in animo habuerit [6]. Noli enim cavillationibus illis decipi quibus, ut Murenam patronus defenderet, juris disciplinae jurisque consultis M. Tullius irrisit : ille quidem certe

1. *Tusc. disput.*, 1, 4, 7.
2. *Parad. prooem.*, 2.
3. *Epist.*, 16, 23, 2.
4. *Tusc. disp.*, 2, 4, 11.
5. *Orat.*, 3, 12.
6. *De leg.*, 1, 3, 10. — Quantum Cicero in juris scientia valuerit disseruit Gasquy, *Cicéron jurisconsulte*, Paris, Thorin, 1886.

eam disciplinam minime contemnebat, quam « non a praetoris edicto, ut plerique *tunc*, neque a duodecim tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam » putaret [1]; artem minime neglegebat post eloquentiam primariam [2], qua ad summos honores quosdam provectos esse animadverteret.

Jam quid de ceteris rebus dicam, quibus adulescentulus Cicero magno opere studuit? Historias Graecorum et populi Romani annales evolvebat, quae omnino nescire cum per se turpissimum esse existimabat, tum oratori magistratuique saepius videbat officere. Versus scriptitabat, qua in exercitatione plerique homines urbani tum versabantur, ut eleganti et ornato et magnifico dicendi genere potiretur. Multa e graeco in latinum convertebat, quo graece luculentius sciret, latine peritius et disertius loqueretur: *Oeconomicum* igitur Xenophontis [3] et *Protagoram* Platonis [4] et Aratia carmina [5] interpretatus est.

Praeterea quam multos legit Graecorum et Latinorum libros [6]! Quam multas sententias, quam multos versus memoria tenuit, quibus et orationes et epistulas etiam festinanter scriptas consuerat ornare! Poetas tamen, quamvis nonnullos vehementer admiraretur, non tam ut pulchritudine et ornamentis carminum delectaretur,

1. *De leg.*, 1, 5, 17.
2. *Brut.*, 41, 151; — cf. *De off.*, 2, 19, 66.
3. *De off.*, 2, 24, 87.
4. Vide W. S. Teuffel, *Geschichte der römischen Literatur, neu bearbeitet von* L. Schwabe, *fünfte Auflage*, Leipzig, Teubner, 1890, § 186, 9ª) (vel *Histoire de la littérature romaine*; *traduite sur la 3ᵉ éd. allemande par* J. Bonnard *et* Pierson...; t. Iᵉʳ, Paris, Vieweg, 1879, p. 329).
5. *De nat. deor.*, 2, 41, 104.
6. Vid. Edm. Lange: *Quid cum de ingenio et litteris, tum de poetis Graecorum Cicero senserit*, Halis, 1880; — Jos. Kubik, *De M. Tullii Ciceronis poetarum latinorum studiis* (in volumine quod inscribitur *Dissertationes philologae Vindobonenses*, I, Lipsiae et Pragae, 1887).

quam ut sibi poetae et oratoris et scriptoris partes acturo commodi aliquid acquireret, pervolutasse videtur : ab iis enim exempla et praecepta potissimum mutuatur; Homerum oratoris nomen meruisse censet[1]; Euripidis prudentiae ita credit, ut singulos ejus versus singula testimonia se putare jocans quidem profiteatur[2]. Necnon eosdem poetas, cum magnam prae se speciem doctrinae sapientiaeque ferant, ideoque audiantur, legantur, ediscantur et penitus in mentibus inhaerescant, quod erroribus nos imbuerint accusat[3] : « Quas illi, inquit, obducunt tenebras ! quos invehunt metus ! quas inflammant cupiditates ![4] » Quin etiam, genus aliquod poetarum, nec levissimum illud quidem, indignum ad quod respiciatur judicat, negatque se, si duplicetur sibi aetas, habiturum tempus quo legat lyricos[5].

Quid mirum ? Nonne philosophos simili mente et ratione aestimat amplissimos ? Platonem enim, cui statuam suo in pratulo posuerat[6], deum saepius et principem ingenii doctrinaeque nominat[7]; atque Aristotelem longe omnibus (Platonem si exceperis) praestantem et ingenio et diligentia pronuntiat[8]. Illorum tamen apertas, ut ita dicam, et legentem opibus juvantes virtutes, non reconditas et ex usu nullo futuras planius capit et libentius

1. *Brut.*, 10, 40.
2. *Epist.*, 16, 8, 2 (ad Tironem).
3. *Tusc. disp.*, 3, 2, 3.
4. *De re publ.*, 4, 9, 9 (ex Augustini *De Civitate Dei*, 2, 14, extr.). — Cf. *Tusc. disp.*, 4, 32, 69 : « O praeclaram emendatricem vitae poeticam ! quae amorem flagitii et levitatis auctorem in concilio deorum collocandum putat.... ! »
5. *De re publ.*, 4, 9, 9 (e Senecae *epist.* 49, 5). Nihilominus Cicero ad Atticum scribens nonnulla Pindari verba usurpat (*Ad Att.*, 13, 38, 2).
6. *Brut.*, 6, 24.
7. *Ad Att.*, 4, 16, 3; *ad Q. fr.*, 1, 1, 10, 29; al.
8. *Tusc. disp.*, 1, 10, 22.

laudat; nec tam Platonem quod unus omnium philosophorum occultissimas res scrutatus sit callideque aperuerit, quam quod longe omnium, quicumque scripserint aut locuti sint, princeps et suavitate et gravitate exstiterit[1]

II

Litteris ergo M. Tullius, et quod utilitatem praeberent magnam, et quod ipsi per se jucundae essent, operam dedit; nec putabimus Ciceronem illo unice, minime hoc momento impulsum esse. Vide enim, cum otium sit cumque per festos dies celeberrimo conventu ludis intersint omnes, quid M. Tullius agat. Scilicet in Tusculanum confugit, ut aliquid meditandi aut scribendi causa Lyceum et Academiam revisat (ea enim duobus villae locis nomina imposuerat, a philosophorum scholis mutuatus[2]); aut in Antiati suo libros illos in bibliotheca sedens evolvit, quos cum Attici librariolis Tyrannio glutinavit, disposuit, designatione mirifica decoravit[3]. « Postea, inquit, quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus.... Nihil venustius quam illa.... pegmata, postquam mi sillybis libros illustrarunt[4]. » Verba habes acris librorum amatoris; nec jam opus est commemorem quam insolens, quam a moribus suis abhorrens, quam pertinax odium in Dionysium

1. *Orat.*, 19, 62. Cf. C. Thiaucourt, *Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources grecques*, Paris, Hachette, 1885, p. 331.
2. *De div.*, 1, 5, 8; *Tusc. disp.*, 2, 3, 9; al.
3. *Ad Att.*, 4, 4b, 1.
4. *Ad Att.*, 4, 8a, 2. — Cf. *les Collectionneurs de l'ancienne Rome, notes d'un amateur* (Edmond Bonnafé), Paris, Aubry, 1867, p. 69 sqq.

quendam servum, qui libros subripuisset, conceperit[1], nec quam saepe ab Attico suo sit precatus ut bibliothecam sibi conficeret[2], neve libros, quos haberet venales, cuiquam traderet : « libros tuos conserva et noli desperare eos me meos facere posse; quod si assequor, supero Crassum divitiis atque omnes vicos et prata contemno[3] ».

Non tamen omnes vindemiolas suas eo reservabat Cicero, ut pluribus libris, et accuratius descriptis, et pulchriore specie oculos capientibus villas suas locupletaret; signis etiam et tabulis pictis et ejus modi aliis rebus eas ornabat, quae Atticus plerumque, nonnumquam tamen alius quis ipsius sumptu emerat. Quanto opere enim eximiis Graecorum operibus delectatus sit nemo ignorat; atque saepius jam docti viri disseruerunt quam scite subtiliterque Tullius singulorum artificum virtutes atque vitia dijudicaverit, quid egregie de sculpturae picturaeque scientia senserit, quam apte periteque multa in scriptis suis ex duabus illis artibus deprompta protulerit, ut res de quibus loqueretur explanaret[4].

1. Vide *epist.*, 5, 9, 2; 5, 10ª, 1; 5, 11, 3; 13, 77, 3.
2. *Ad Att.*, 1, 7.
3. *Ad Att.*, 1, 4, 3; 1, 10, 4; 1, 11, 3. Quantum penderet animi Cicero cum libros emere vellet — ita mendose scribebantur et mendosi venibant — ipse significavit *ad Q. fr.*, 3, 4, 5; 3, 5, 6.
4. Vide in primis Fraguier, *la Gallerie de Verrès*, p. 575-576 (in *Mémoires de littérature tirez des registres de l'Académie royale des Inscriptions et Belles lettres...*, t. VI, Paris, 1723, p. 565-576); — L. Maignen, *Quid de signis tabulisque pictis senserit M. Tullius...* Parisiis, exc. Firmin Didot, 1856; — E. Bertrand, *De pictura et sculptura apud veteres rhetores...*, Lutetiae Parisiorum, apud Thorin, 1881; cap. III et IV; — Armand Gasté, *les Collections de Verrès, suivi d'un appendice sur Cicéron amateur* (in *Bulletin de la Soc. des beaux-arts de Caen*, juin 1883). — Quam apte Cicero in ornandis praediis villisque aedificandis versatus sit perspicias ex ipsius litteris licet, quas dum absentis Quinti villas curat conscripsit (*ad Q. fr.*, 3, 1).

Atque nosmetipsi libenter, nisi a proposito digredi nollemus, quanto cum gaudio empta sibi opera excipere, collocare, adamare, intueri solitus sit, multis epistularum locis allatis, ostenderemus, quorum unum lege ad Atticum grato animo scriptum : « Hermathena tua valde me delectat, et posita ita belle est, ut totum gymnasium ejus ἀνάθημα esse videatur : multum te amamus[1] ». Sed ignoscas velim, si non tam sincero vehementique studio ad artificum opera quam ad libros exarsisse M. Tullium subjungamus[2].

Quid enim? Verris vocem parvi faciamus volo, idiotam Ciceronem vocitantis; at ille signorum pictarumque tabularum existimator valde bonus, cum per alios semper, non per se, quae emeret eligeret, nusquam in epistulis se pigere declaravit quod tantum tamque jucundum munus non ipse posset suscipere. Praeterea, emenda curabat aut empta suspiciebat, non quae forma et pulchritudine ceteris antecellerent, nec quae subscriptis certorum artificum nominibus commendarentur, nec quae eo genere et artificio essent ut potissimum sibi probarentur, sed tantum quae, quo essent perfecta argumento, cum iis in quibus essent collocanda locis apte congruere viderentur. Quare haec Attico aut similia multa mandabat : « Tu, velim, si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quae loci sint ejus, quem tu non ignoras, ne praetermittas » ; — « velim... quam plurima quam primumque mittas... quae tibi gymnasii xystique videbuntur esse » ; — « quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est : est ornamentum Academiae proprium meae,

1. *Ad Att.*, 1, 1, 5.
2. Cf. Bonnafé, *les Collectionneurs de l'anc. Rome*, p. 65-69.

quod et Hermes commune omnium et Minerva singulare est insigne ejus gymnasii[1]. » Fadium autem Gallum, qui statuas majoris quidem pretii et istiusmodi generis quod gymnasio minus conveniret nomine Ciceronis emisset, subiratus ille objurgabat : « Tu... ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non aestimo, tanti ista quattuor aut quinque sumpsisti. Bacchas istas cum Musis Metelli comparas : quid simile? primum ipsas ego Musas numquam tanti putassem, atque id fecissem Musis omnibus approbantibus, sed tamen † erant aptum bibliothecae studiisque nostris congruens ; Bacchis vero ubi est apud me locus? — At pulchellae sunt. — Novi optime et saepe vidi : nominatim tibi signa mihi nota mandassem si probassem; ea enim signa ego emere soleo, quae ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palaestra locum [2]. »

Denique, in judicandis iis qui artificiorum studio indulgerent non semel severior Ciceronis sententia fuit, quam ut toto pectore eidem ipse studio indulsisse videatur. Haec enim scripsit, postquam improbos homines servos esse, eumque cui mulier imperet nequissimum esse servum disputavit : « Atque in pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant[3]. »

1. *Ad Att.*, 1, 6, 2; 1, 8, 2; 1, 4, 3. — Cf. 1, 5, 7; 1, 9, 3; 1, 10, 3; al.
2. *Epist.*, 7, 23, 2; sequentia vide.
3. *Parad.*, 5, 2, 36. Quid inter *Paradoxa* et ceteros de philosophia libros intersit etsi non ignoro, tamen, quod minime cogebatur Cicero pluribus verbis et in Graecas artes et in Graecarum artium amatores invehi, documento esse talia opinor quid de artium operibus senserit. — Cf. Maignen, *Quid de signis tabulisque pictis...*, p. 22-23. — Multos locos orationis quae inscribitur *De signis* non imprudens praetermitto.

Cur igitur tantam impensam in istiusmodi rebus coemendis Cicero faciebat? Primum, ne quid a Graecis cognitum ignorare, aut dilectum parvi facere ipse sibi videretur; deinde, ut divites illos imitaretur, qui, dum splendidas villas decorant, Graeciam artificum operibus, immo artificibus ipsis orbaverant[1]; denique, ut sibi morem gereret lauto, sumptuoso, semper aliquid emere gestienti. Qui enim jocans haec aiebat : « Tusculanum et Pompeianum valde me delectant, nisi quod me, illum ipsum vindicem aeris alieni, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt[2] », idem ille novas usque villas — quas tamen ad duodecim habebat —, novas domos, nova deversoria cupiebat.

Sed de hoc plus quam satis est. Cicero enim haec scripsit verissima : « mea quidem sententia, nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus : etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio[3]. » Ipse igitur, utpote qui nihil mallet quam ut omni laude cumulatus orator fieret, ne a mathematicorum quidem aut physicorum aut ejusmodi multarum rerum scientia abhorruit : Archimedem summo opere laudabat[4], et Arati *Phaenomena* et *Prognostica* interpretabatur. De quo in *Dialogo de oratoribus* ille Messalla : « Hercule, inquit[5], in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei

1. Vid. Bonnafé, *les Collectionneurs...*, p. 4.
2. *Ad Att.*, 2, 1, 11.
3. *De orat.*, 1, 6, 20.
4. *Tusc. disp.*, 5, 23, 64-66. — Cf. *De republ.*, 1, 14.
5. *Dial. de orat.*, 30.

defuisse. » Atque illae quidem doctrinae in Cicerone, ut in homine Romano, satis amplae fuerunt, non ita tamen, ut ab illo tanti aestimarentur quanti a Graecorum multis aestimari solebant, utque vere per se utiles atque nobiles, et dignas quibus generosissimus quisque, non humilis tantum homunculus[1] inserviret, eas judicaret.

III

Scilicet ex errore vulgi aliquantum pendebat, nec, etiamsi in primo *de Republica* libro[2] quanto magis doctrina et scientia quam potestate et publicis muneribus ad beate vivendum homines adducerentur explanantem Scipionem induxerit, illi umquam, potestate longe et muneribus publicis posthabitis, omnem doctrinae et scientiae operam dare placitum est. Litteras tamen in honore habebat, quas qui colerent eos tantum fructum percipere aequum censebat, ut viri boni essent, ut nihil in se aut perfidiosum, aut contumeliosum, aut humile admitterent, ut moderatos animos in potestate adhiberent, injuriam autem temporum fortiter ferrent, seseque vehementer conscientia factorum et consiliorum consolarentur[3]. Praeterea homines litterarum studiosos diligebat : quam saepe enim, cum virum quempiam laudat, significat Cicero eum iisdem studiis deditum esse quibus

1. *Tusc. disp.*, 5, 23, 64. — Cf. E. Jullien, *les Professeurs de littérature dans l'ancienne Rome, et leur enseignement depuis l'origine jusqu'à la mort d'Auguste*, Paris, Leroux, 1885, p. 336-337, 348, 352.
2. Cap. 17.
3. Vid. *Epist.*, 5, 19, 2; 3, 10, 7; 6, 10, 4; *ad Q. fr.*, 1, 1, 7, 22 et 13, 39; al.

se ipse dediderit! Quam saepe, cum causas explicat quibus ipse et familiarium aliquis inter se conjunguntur, haec aut similia verba adjicit : « Accedit non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se grave, tum eorum studiorum earumque artium quae per se ipsae eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt [1] »! Multum igitur ad jungendam cum Cicerone retinendamque amicitiam valebant eadem de publicis rebus sentiendi ratio, et simillimus vitae civilis cursus, et officiorum utilitatumque communicatio; at multum etiam similitudo studiorum et, ut ipse ait, litterae interiores [2].

Haud paucos igitur viros amavit, quibuscum uno studiorum commercio, cum a re publica essent remoti, conjunctus fuerat; e quibus plures postea, nunc Niciam grammaticum commemorabo [3], philosophosque illos qu Athenis florebant : Aristum, apud quem imperator, cum e Cilicia decederet, deversatus est, Xenonem, Sironem [4], alios. Quid autem de magistris dicam, quos, cum, provecta aetate, jamdiu discipulus esse desiisset, grata tamen memoria et laude et amore prosequebatur? Nempe quanta de Scaevolis augure et pontifice praedicavit [5]! Quam libente animo L. Aelium Praeconinum professus est omnino egregium virum esse, et cum primis honestum, eundemque litteris et graecis et latinis erudi-

1. *Epist.*, 13, 29, 1.
2. *Epist.*, 3, 10, 9. — De hac tota quaestione cf. *Epist.*, 2, 13, 2; 13, 10, 2; 13, 29, 5; al.
3. Vid. *ad Att.*, 12, 26, 2; 13, 28, 3; et Suetonii *De grammat.*, 14.
4. De Aristo vide potissimum *ad Att.*, 5, 10, 5; et *Brut.*, 97, 332; de Xenone, *ad Att.*, 5, 11, 6; de Sirone, *Epist.*, 6, 11, 2.
5. *De amic.*, 1, 1; al. Multos hic et alibi Ciceronis locos praetermitto, quos vel in Orellii libro qui *Onomastico Tullianum*, vel in Teuffel qui *Geschichte der Römischen Literatur* inscribitur facillime queas reperire.

tissimum[1]! Academicorum ipse etsi disciplinam colere instituerat, Phaedro Epicureo nihil elegantius, nihil humanius esse judicavit, et eum si minus ut philosophum, saltem ut virum bonum et suavem et officiosum usque probavit[2]. Antiochum, qui in veterem Academiam e nova remigraverat, nobilissimum tamen et prudentissimum philosophum, hominem natura lenissimum, appellavit[3]; stoicum denique Diodotum, quo in dialecticis praeceptore usus erat, caecum apud se domi multos annos habuit, quare ab homine grato scriptus est heres[4]. Praeterea non certos solum Graecos, sed ipsam Graeciam, nec certos solum Athenienses, sed ipsam urbem « ubi nata et alta erat ratio ac moderatio vitae[5] » studio complectebatur.

Quippe sibi conscius exstiterat Cicero, ea quae consecutus esset iis se studiis et artibus esse adeptum, quae essent Graecorum monumentis disciplinisque ceteris hominibus tradita[6]; itemque se, quicquid ad rem publicam afferret, a doctoribus instructum ad eam et ornatum accessisse. Qui igitur fieri potuisset, ut a quibus esset ipse eruditus non observaret diligeretque, praesertim cum omnes quicumque de se meriti essent homo minime ingratus defendere, tueri, adamare soleret? Quid quod, cum Diodotum domi suae haberet, speciem gerebat optimatum illorum quos philosophi sui aut poetae, natione

1. *Brut.*, 56, 205. — Cf. Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 91-92; et Kubik, *De M. T. Cic. poet. lat. st.*, p. 245.
2. *De nat. deor.*, 1, 33, 93; *Epist.*, 13, 1, 2.
3. *Acad.*, 1, 4, 13; *Brut.*, 91, 315; *Acad.*, 2, 4, 11.
4. *Tusc. disp.*, 5, 39, 113; *ad Att.*, 2, 20, 6. — Cf. *Acad.*, 2, 36, 115.
5. *Epist.*, 6, 1, 6.
6. *Ad Q. fr.*, 1, 1, 9, 28.

Graeci, prosequebantur [1]? Ciceroni enim, ut litteratorum simul et locupletium virorum morem aemularetur, ideo nonnumquam exarsisse insitum litterarum amorem, haec certe, ne multa afferam, significant verba epistularum ad Atticum scriptarum, in quibus de collocando Athenis προπύλῳ, cum in eo esset ut Cicero Cilicia decederet, agitur : « Audio, inquit, Appium πρόπυλον Eleusine facere : num inepti fuerimus, si nos quoque Academiae fecerimus?... Equidem valde ipsas Athenas amo; volo esse aliquid monumentum... » Illa priora quam prompto animo! haec autem posteriora quam tardo : « me tamen de Academiae προπύλῳ jubes cogitare, cum jam Appius de Eleusine non cogitet [2]? »

IV

At quidni properemus Ciceronem ibi perspicere, ubi cum minus administrandam rem publicam et opinionem vulgi et optimatum judicia intueatur, planius quo modo erga ingenuas artes animatus sit non possit non indicare? Quidni Ciceronis in domum penetremus, ut, quibus doctrinis liberos excolat, et quid potissimum proximis suadeat aut gratuletur, et quibus in rebus optimos e familia servos occupatos esse jubeat, recognoscamus?

Quanto igitur opere Tulliam et Marcum suos erudiendos curaverit, qualem etiam magistrum se iis ipse praebuerit, valde notum et celebratum est. Tulliam enim, effigiem oris, sermonis, animi paterni [3], studiis sociam

1. Vid. Teuffel, p. 276 (ed. V; § 164 ed. III).
2. *Ad Att.*, 6, 1, 26; 6, 6, 2.
3. *Ad Q. fr.*, 1, 3, 3.

suis adjungendo, doctam et philosophiae peritam adeo effecit, ut nesciamus an tenerrimae certe et imbecillo corpore laboranti feminae severiore paulo et nimis exquisita ratione ingenium informaverit [1]; immo ipsi de ejus morte non nisi philosophiae scriptione [2] sese consolari placuit. Marcum autem Ciceronem, etsi minus ingenio, virtute, humanitate, pietate [3] eminentem, nihilominus producere et quam doctissimum reddere conatus est, ne, cum magnam exspectationem imitandae industriae paternae, magnam honorum, magnam quoque nominis sustineret [4], ipse sibi deesse videretur, neve illi foret parentis gloria abutendum, ut honores posset adipisci. Dionysio igitur Marcum tradidit, litterato servo, quo, quamvis furenter aliquando irasceretur, nec doctiorem quemquam, nec sanctiorem, nec domini amantiorem fieri posse opinabatur [5]; Athenas illum misit, qui Cratippo, principi illius aetatis philosophorum eidemque patris familiari operam daret; Athenisque se ad studium segnius conferenti tum vehementer suadebat ut nebulones quosdam adulescentes a se dimitteret, tum recte loquendi asper exactor neglegentem sermonem reprehendebat [6], tum, si facultas aliquando dabatur, quod litteras sane πεπινωμένας scripsisset gratulabatur [7]; denique, libris ipse suis erudiendum Marcum curavit : quod ad

1. Vid. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 109.
2. *Consolationem* tum scripsit, de qua perpauca supersunt.
3. His verbis Tulliam in epist. *ad Att.*, 11, 17, 1, M. Tullius designat.
4. *De off.*, 3, 2, 6.
5. *Ad Att.*, 6, 1, 12.
6. Quintil., *De instit. orat.*, 1, 7, 34.
7. *Ad Att.*, 14, 7, 2. De Marco filio Athenis peregrinante passim confer a. 709 et 710 ad Atticum scriptas epistulas : 14, 11, 2; 14, 13, 4; 14, 16, 3; 14, 17, 5; 15, 16[a]; 15, 17, 2; al. — Cf. *Epist.*, 12, 16, 1-2 (litteras a Trebonio scriptas).

eloquentiam pertinebat, *de Partitione oratoria* dialogo, quod ad philosophiam, pulcherrimis illis *de Officiis* libris; qua de re enim potius pater filio commentaretur?

Non autem liberos tantum ad ingenuas artes cohortabatur impellebatque; sed, excepta Terentia, cui curae fuisse mariti in re publica, non in litteris partam famam jure quidem existimaverimus [1], propinquos omnes studiorum, laborum, laudis etiam suae participes quodam modo esse voluit, merito scilicet ratus quicquid Ciceronibus honoris adderetur ipsi Ciceronum maximo non eripi, sed potius novum adjungi ornamentum. Quintum igitur fratrem, postquam sive judicio, sive pudore et timiditate quadam ingenua a dicendo refugerat, aut, ut ipse jocari solebat, unum putaverat satis esse non modo in una familia, sed paene in tota civitate rhetorem [2], aliis saltem multisque studiis vacantem fovebat : nempe soluta oratione ejus nihil aut subtilius aut ornatius esse posse [3] blande adseverabat, in versibus autem scribendis sine ulla ironia loquentem se aiebat priores illi quam sibi partes tribuere [4]; ideo quattuor tragoedias sedecim diebus absolventi suadebat ut poëma de Britannia conscriberet, versusque ipse, quibus poema adaugeretur, se missurum pollicebatur [5]; item in Philisto et Callisthene volutato auctor erat ut historiam aggrederetur [6], annalesque antea, in quibus Quintum, fraternae auctoritatis studiosum, consularis fratris exornasse de re publica

1. Vid. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 96.
2. *De orat.*, 2, 3, 10.
3. *De orat.*, 2, 3, 10.
4. *Ad Q. fr.*, 3, 4, 4; cf. 3, 5, 4.
5. *Ad Q. fr.*, 2, 15, 4; 3, 5 et 6, 7.
6. *Ad Q. fr.*, 2, 11, 4.

merita verisimile est [1], emendandos et edendos suscepisse videtur [2].

Quinti etiam filius, vitiis refertus adulescens et egens frenis, ut a Paeonio et Tyrannione magistris egregie erudiretur consuluit et prospexit, et ut simul cum Marco filio exerceretur curavit, et quid disceret quam saepissime inspexit [3].

Denique Lucium, fratrem cognatione patruelem, amore germanum, incitavit, primum ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiret, deinde ut illud ipsum, quod studeret, facere posset ornatius [4].

Servis etiam et libertis, dummodo litterati essent, delectabatur; quippe Sosithei cujusdam anagnostae morte vehementer commotus est [5]; et Chrysippum quendam, propter litterarum, ut aiebat, nescio quid, libenter videbat, in honore habebat, filio comitem adjungebat [6]; et Dionysium illum, cujus in mentionem paulo ante incidi, honoratiorem apud se quam apud Scipionem Panaetius fuerat observabat [7]. Immo plures ipse litteris imbuebat, e quibus Philologus, si quidem Plutarcho fidem habemus [8], praeceptorem ad supplicium tradidit, Tiro contra magistri gloriae summa ope usque

1. Vid. Fr. Buecheler, in praefatione libelli qui inscribitur *Quinti Ciceronis reliquiae*, Lipsiae, in aedibus Teubneri, 1868, p. 15.
2. *Ad Att.*, 2, 16, 4.
3. *Ad Q. fr.*, 2, 4, 2; 2, 12, 2; 3, 1, 4, 14; 3, 3, 1 et 4; *ad Att.*, 6, 1, 12.
4. *De fin.*, 5, 1, 1 et 2, 6.
5. *Ad Att.*, 1, 12, 3.
6. A puero tamen discessit, qua fuga nihil Ciceroni visum est sceleratius : *Ad Att.*, 7, 2, 8.
7. Quam ingrato animo Dionysius postea fuerit, multis Tullianarum epistularum locis cognoscas licet, ut *ad Att.*, 7, 18, 3; 8, 4, 1-2; 8, 5, 1; 8, 10; 9, 12, 2; 13, 2, 3.
8. In *Cic. vita,* 48.

inservivit. Hujus autem vita, illustrior quidem quam ut iterum narretur [1], documento nobis esse potest quali amore litteratos servos M. Tullius complecti solitus sit : ut enim eum ab ineunte aetate liberaliter instituerat, ita eodem postea adjutore et quasi administro in studiis litterarum usus est [2], cui magnifica fidei, industriae, utilitatum testimonia dedit. « Innumerabilia, inquit, tua sunt in me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in studiis, in litteris nostris » ; et alio loco : « tu, inquit, qui κανὼν esse meorum scriptorum soles [3]. » Quam humane et quam amanter aegrotantem rogat ut valetudinem curet, et peritissimum quemque medicum adhibeat, neve ulla in re sumptui parcat ! « Nihil properaris, inquit; satis cito te videro, si valebis. Utilitatibus tuis possum carere : te valere tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro [4]. » Talibus vero verbis plerumque non potest Cicero quin adjiciat se opportunitatem Tironis operae omnibus locis desiderare, et sine Tirone omnia sua muta esse, et Tironem amice facturum, si Tullianis musis ut operas reddat paret [5].

1. Vid. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 114-117.
2. A. Gell. *Noct. attic.*, 6, 3, 8; 13, 9, 1. — Cf. haec Ciceronis ipsius ad Tironem scripta : « Tu si nos omnes amas et praecipue me, magistrum tuum... » (*Epist.*, 16, 3, 1).
3. *Epist.*, 16, 4, 3; 16, 17, 1.
4. *Epist.*, 16, 3, 2. — Cf. *ad Att.*, 7, 5, 2.
5. *Epist.*, 16, 11, 1; 16, 10, 2; alias plures ex eodem libro epistulas conferas velim. — Dionysii item ex doctrinis aliquem fructum a Cicerone perceptum indicio esse verba haec videntur : « Dionysium velim... roges et hortere ut quam primum veniat, ut possit Ciceronem meum atque etiam me ipsum erudire », *ad Att.*, 4, 15, 10; cf. 4, 8b, 1; 4, 11, 2. — Quod in his ultimis locis de Dionysio quodam, Attici liberto, agi putat Orellius, recte Boot metuit ne ex uno homine duos fecerit (*Epist. ad T. Pomp. Atticum*, p. 185).

V

Sed de illis hactenus, quibuscum studiorum aliquid Cicero communicabat. Nunc, ut videamus quem apud illum locum optimae artes obtinuerint, quaeremus quale rebus adversis perfugium ac solacium praebuerint, numque ita unice dilectae fuerint ut reliquarum rerum calamitatem consolarentur.

Duri tamen animi esset fusius ostendere quantulum, post Tulliae mortem, ad maerorem patris minuendum litterae valuerint. Frustra enim Cicero, in solitudine potissimum vivens et ab omni abhorrens colloquio, ut animum leniret sanaretque, totos dies in litteris consumebat, de philosophia multa conficiebat, et omnia, quaecumque a doctissimis viris ad levandum dolorem accommodate scripta essent, in peculiarem *de Consolatione* librum transferebat. Omnem consolationem vincebat dolor, nec ullo modo avocari a maestitia poterat, nisi de ἀποθεώσει et de fano Tulliae erigendo cogitaret; litteris autem se nihil proficere cum candide Attico suo non negabat, quantam habebant epistulae misericordiam! « Quid ergo? inquies, nihil litterae? In hac quidem re vereor ne etiam contra; nam essem fortasse durior : exculto enim in animo nihil agreste, nihil inhumanum est [1]. »

Quis vero, qui quidem aliquid in se habeat animi paterni, Ciceroni vehementer exprobret quod scriptione et litteris non lenitus sit, sed obturbatus? Quis item possit

1. *Ad Att.*, 12, 46, 1. Vide totum hunc epistularum ad Atticum librum XII, prioribus tamen undecim exceptis.

stomachari quod se, quamvis optimis studiis acriter deditum, labantis aut omnino eversae rei publicae non oblivisci locis innumeris significaverit? Haec potius consideremus, plusne animum Ciceronis illud commoverit, quod a re publica exclusus erat, an quod ad litterarum studia se contulerat, et majoremne illi dolorem irrita honorum cupiditas an consolationem expeditum litterarum studium attulerit.

Ciceronem autem, ut ab honoribus capessendis retardatum ad diligendas litteras cito confugere, ita litterarum amore non impediri quin honores desideret et exoptet multi epistularum loci testantur. Cur enim, dum praeturam petit, candidatus ille exclamat : « summum me *librorum* studium tenet, sicut odium jam ceterarum rerum? » Si quae sequuntur legeris, non ignorabis : « ... quas tu, incredibile est, inquit, quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti[1] »; scilicet vexatus erat candidatus. Cur postea ad Atticum attice scribit vir consularis : « φιλοσοφητέον, id quod tu facis, et istos consulatus non flocci facteon[2]? » Scilicet Clodius incesti crimine accusatus turpiter absolutus erat. Cur denique, duobus post annis, « cum Musis, inquit, nos delectabimus aequo animo, immo vero gaudenti ac libenti[3]? » Scilicet Clodium Caesari placere senserat, et ipse, invisis civibus gubernatione permissa, coactus erat exire de navi, non abjectis, sed ereptis gubernaculis[4].

1. *Ad Att.,* 1, 11, 3; a. 687.
2. *Ad Att.*, 1, 16, 13; a. 693.
3. *Ad Att.*, 2, 4, 2; a. 695.
4. *Ad Att.*, 2, 7, 4. — Cf. quae eodem tempore stomachosa scripsit Cicero, cum prope Antium rusticaretur : « Hic, hic nimirum πολιτευτέον; nam istic (Romam significans) non solum non licet, sed etiam taedet » (*ad Att.*, 2, 6, 2).

Rem publicam nihilominus attingere cupit, atque ita se gerit, ut in dies singulos et studia in se hominum et opes suae augeantur; quin ipse sibi adeo discrepat, ut in eadem epistula, post trium virum conjunctionem scripta, de libera legatione cogitet, auguratum exoptet, multa de re publica roget, denique exclamet subito : « Sed quid ego haec, quae cupio deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν [1]? »

Φιλόσοφος igitur, nec jam πολιτικὸς in posterum Cicero fiet! At φιλόσοφος ille [2], ubi in exsilium est ejectus, statim adeo affligitur, ut ne philosophia quidem niti possit [3]; et ille minime πολιτικός, licet, post reditum, res publicas ad se nihil jam attinere, et locum illum animi, stomachus ubi habitaverit olim, concalluisse [4] affirmet, saepius contra dicit et : « angor, inquit,... nostrum hoc tempus aetatis, quod in illa auctoritate senatoria florere debebat, aut forensi labore jactari aut domesticis litteris sustentari, illud vero, quod a puero adamaram,

πολλὸν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων

totum occidisse [5]. » Addit inimicos a se partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos, suum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum...; quae tamen effugere et, ut ita dicam, respuere potuit, si de re publica demigrare et in litteris tandem acquiescere in animo vere habuisset.

1. *Ad Att.*, 2, 5, 2; cf. 2, 13, 2; 2, 16, 3; 2, 17, 1; 2, 22, 3; 2, 23, 3; al.
2. « Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται » (*ad Att.*, 2, 12, 4).
3. Vid. *ad Q. fr.*, 1, 3, 5.
4. *Ad Att.*, 4, 18, 2; a. 700.
5. *Ad Q. fr.*, 3, 5, 4.

Silentio praetereamus quae, cum Pompeius et Caesar inter se essent dimicaturi vel dimicarent, Cicero senserit et egerit. Lamentando enim ipse verebatur ne, nihil cum proficeret, etiam dedecori esset studiis ac litteris suis [1]; quod contra, tanto in discrimine tantaque in caligine cum versaretur res publica, nihil illi libros, nihil litteras, nihil doctrinam profuisse justum videtur, et imbecilliorem fuisse medicinam quam morbum. At cum, post Pharsalicam cladem, Bruti et Attici litteris recreatus se ad pristina studia revocaverat [2], cur non eodem perfugio, quo multis aliis utendum censebat [3], litteris et philosophia, fuit contentus? Ac postquam in gratiam cum veteribus amicis, id est cum libris suis, rediit, qui in consuetudinem pristinam illum revocabant, Varronemque, quod in ea remansisset, sapientiorem dicebant esse [4], cur gregalem illum et contubernalem non est imitatus, nec nihil aliud egit, nisi pulcherrimos simul et utilissimos libros conscriberet [5]? Cicero enim, etsi saepe nihil dulcius otio litterato esse judicavit, sic litteris usus est, non ut ab iis medicinam perpetuam, sed

1. *Ad Att.*, 8, 11, 1.
2. *Brut.*, 3, 11.
3. Vid. *Epist.*, 4, 3, 3 (ad Servium Sulpicium); 5, 21, 2-3 (ad Mescinium); 6, 12, 5 (ad Ampium); al.
4. *Epist.*, 9, 1, 2.
5. Cf. quae argute scripsit J.-J. Ampère: « Il... se plongea et, comme il le disait, se cacha dans l'étude des lettres, cette consolation à laquelle il fut toujours sensible, mais qui ne lui avait pas toujours suffi. Maintenant il se rejetait sur la littérature, dans laquelle il croyait par moments trouver un repos agréable et complet; mais on sent que c'était un pis aller. Au sein de l'étude il regrettait l'éloquence, la curie, le forum, où il n'y avait plus de place pour lui; Cicéron revenait à la philosophie comme le joueur revient à sa maîtresse; lui aussi, ayant perdu la partie, s'écriait : « *O ma chère Angélique!* » *La Fin de la liberté à Rome. Pompée, Cicéron et César* (in *Revue des Deux Mondes*, 1er avril 1864, p. 722).

ut exiguam oblivionem doloris peteret [1]; forensibus solaciis ornamentisque sese privatum esse haud desiit queri [2]; nec se totum in litteras ut abderet, quod tamen factum iri frequentissime confirmabat, animum umquam inducere potuit. Caesaris igitur familiaribus utebatur, ut se ad talia tempora muniret; ipsi Caesari placebat, ut aliquam saltem in re publica personam ageret; optimatibus prodesse et mala deprecari contendebat, ut cum alienatis a se animis in gratiam rediret; immo cum delicatis adulescentulis iisdemque dictatori deditis cenitabat. Quem audias velim ad amicorum quendam scribentem : « Miraris tam exhilaratam esse servitutem nostram? Quid ergo faciam?... angar? excruciem me? Quid assequar? deinde quem ad finem? « Vivas », inquis, « in litteris ». An quicquam me aliud agere censes, aut posse vivere [3], nisi in litteris viverem? sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus [4]. »

Quanto igitur gaudio perfusus sit, cum, dictatore exstincto, ad rem publicam et ad honores rursum datus est aditus, non ostendemus, rem omnibus bene notam. Postrema autem Ciceronis vitae tempora enarrare non est nostrum, sed admirari, quippe libertati salutique rei publicae condonata. Inclinatis enim ac paene eversis

1. *Epist.*, 5, 15, 4.

2. Mirum quantum omni tempore quid sentiat et exoptet Cicero imprudens aperiat. « Atque utinam », inquit, ad Varronem scribens, « quietis temporibus atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis haec inter nos studia exercere possemus! Quamquam tum quidem *vel aliae quaepiam rationes honestas nobis et curas et actiones darent*... » (*Epist.*, 9, 8, 2).

3. *Posse*, ut Starker scribit, non, ut ceteri, *possem* legendum puto (P. Starker, *Symbolae criticae ad M. Tullii Ciceronis epistulas*, Vratislaviae, 1882, p. 23).

4. *Epist.*, 9, 26, 1.

iterum rebus, optimum civem cum multum litterae, tum non minimum Idus Martiae usque adeo consolatae sunt [1], quoad ipsi summa adire pericula et oppetere mortem contigit.

1. *Ad Att.*, 14, 13, 3.

CAPUT II

QUA RATIONE CICERO ERUDITUM SE ESSE NUNC CELAVERIT, NUNC OSTENTAVERIT, UT IN RE PUBLICA COMMODI ALIQUID ASSEQUERETUR; QUANTO OPERE PATRIAE AMANS LATINAS LITTERAS CELEBRAVERIT.

I. Quod in litteris multum valet, idcirco Cicero a principibus civitatis saepius observatur. — II. Plebi ut placeat, quae ab optimis artibus abhorret, rudem se esse Cicero in publico usque adeo fingit dum magnam nactus sit auctoritatem. — III. De oratione quae *pro Archia* inscribitur. Cicero consularis, dum non amplius celat se litteris imbutum esse, excusatione tamen utitur quod plus quam majores optimis artibus se dederit. — IV Patriae amantissimus Cicero etiam malos Romanorum poetas potius quam bonos Graecorum legendos putat, romanamque tragoediam venditat, carminaque et sales civium suorum et linguam patriam laudibus effert.

I

Summus in re publica orator, et peritissimus causarum actor, et in omni fere genere dicendi locupletissimus auctor Cicero exstiterat. Quamobrem, cum magna esset opinio plurimum eum apud senatum posse dicendi gravitate, apud populum eloquentiae vi atque copia, apud judices agendi arte, apud lectissimum quemque scriptionum variarum suavitate, nec non apud posteros gloria et laude plurimum valiturum, principes civitatis

plerique diligentius quam pro ejus in re publica dignitate Ciceronem honestabant, fovebant, ad se alliciebant. Alii enim civi eidemque scriptori blandiebantur, ut in aliquo librorum loco intexerentur, aut aliquem ad se missum librum acciperent. Alii a partibus suis averso indulgebant, ne, qua erat dicacitate, petulanter aliquid aut aspere in se diceret. Alii denique — ne longum fiat — inviso consulari satisfaciebant, ut familiares deinde fautoresque sui, si in aliquod crimen vocati essent, ab optimo patronorum defendi possent et servari. Quare M. Tullius, maxime post reditum, cum continuo operam daret ne ingrato esse animo videretur, immo etiam se humanissimum videri vellet, multos defendit, tum optime ipsos de se meritos, tum bene de se meritis amicos, tum, Caesare aut Pompeio jubente, qui ne benigni quidem fuissent exsulaturo sibi aut exsulanti. Atque nimia facilitate impulsus, etiam nefarios homines tuitus est [1].

Exempli causa quae Caesarem inter et Ciceronem intercesserit necessitudo enucleare possumus [2]. Postquam enim Caesar, dum in foro eum ratio honorum tenet, multas egit causas cum Cicerone [3], praestantissimum hujus ingenium mirandamque dicendi et scribendi artem laudibus efferre non desiit. Quippe orator

1. Vatinium ipsum, quem mirantibus omnibus defenderat Cicero, susceptarum a Cicerone causarum pudebat; vid. *Epist.*, 5, 10ᵃ, 1. Hic autem tales se habere orationes aegre ferebat, quamquam multos antea a se contemptos aut defenderat aut defendere cogitaverat; qua de re vide Brueckner, *Cicero num Catilinam repetundarum reum defendit?* Suidnicii, 1844.

2. Vid. inprimis Boissier caput quod inscribitur *César et Cicéron*, et Mommsen, *Histoire romaine, traduite par C.-A. Alexandre*, Paris, Franck, 1863-1872; vol. VII, p. 150-151, 162.

3. *Pro Ligar.*, 10, 30.

ipse egregius Ciceronis *Catone* saepissime legendo dicebat se copiosiorem factum [1]; poematum ipse scriptor [2] Ciceronis poema quoddam sic probabat, ut negaret se ne Graeca quidem legisse meliora [3]; perfacetus ipse homo Ciceronis ἀποφθέγματα colligebat, et, si quod afferebatur ad se pro Tulliano, quod Tullianum non esset, quo erat judicio peracri, rejiciebat [4]; librum denique *de Analogia* cum scripsisset, hunc ad Ciceronem, optimum nempe sermonis latini existimatorem, mittebat. Multas etiam Caesaris litteras omitto omni officio, diligentia, suavitate refertas [5], multa in Ciceronis familiaribus beneficia posita, illamque saepe laudatam lenitatem, qua dictator adversario aut irrisori ita parcebat, ut indulgere videretur [6]. Quae cuncta perhumaniter in Ciceronem, non quod multum ille in re publica posset — saepe enim eidem optimatum fautori inimicissimum se gesserat et malum intulerat, — sed quia primario in litteris erat loco, faciebat [7].

Atque Caesar quid profecerit vide. Cum Galliae subigerentur, Cicero illum sibi secundum fratrem et liberos

1. *Ad Att.*, 13, 46, 2. Bruti autem *Catone* lecto se sibi disertum visum dicebat; quibus de sententiis haec in notulis suis scripsisse Car. Nisard miror : « Cette distinction faite par César entre les deux éloges de Caton, celui de Cicéron et celui de Brutus, n'est-elle pas la critique de celui de Cicéron? Celui-ci toutefois n'a pas l'air de s'en apercevoir. » Acerbiorem contra in Brutum Caesarem fuisse merito judicaveris. (Vid. Ch. Nisard, *Notes sur les lettres de Cicéron*. Paris, Didot, 1882.)

2. Vid. Plutarchi *vitam Caes.*, 2, et Teuffel, § 195, 3.

3. *Ad Q. fr.*, 2, 13, 2; 2, 15, 5.

4. *Epist.*, 9, 16, 4.

5. *Ad Q. fr.*, 2, 13, 1.

6. « Ille nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter » (*Ad Att.*, 14, 17, 6, a. 710, m. maio).

7. In epistula ad Atticum a. 709, m. decembri, scripta narratur quo modo Caesar Ciceronem adierit et apud eum cenaverit : « Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, inquit Cicero, φιλόλογα multa; quid quaeris? delectatus est et libenter fuit » (*ad Att.*, 13, 52, 2).

ita esse, ut esset paene par, profitebatur [1]; Caesarem cantabat [2]; Britanniam pingere Quinti coloribus, penicillo, ut aiebat, suo aggrediebatur [3]; monumenta quaedam, Caesaris nomine, Romae aedificanda curabat [4]; immo P. Vatinium et alios sibi antea infensos, Caesari autem carissimos publicis judiciis tutabatur [5]. Cum, victo Pompeio Pompeianisque, summam potestatem Caesar nactus esset, Cicero in *Bruto*, cum de claris oratoribus aetatis suae fere silentium ageret, Caesari quam amplas, quam exquisitas, quam gratas laudes tribuebat! Dictatoris familiaribus, id est Balbo, Oppio, Hirtio, Pansa, Dolabella aliisque ita ipse familiariter utebatur [6], ut libros illis suos legendos et probandos permitteret; immo libros eos, qui Caesari haud valde displicerent, conscribebat [7]. Cum autem quemquam superbiorem constantioremque esse quam se aegre ferret, profiterique posse vellet multa se optimatum amicorumque saluti adhibuisse, Caesarique etiam se placiturum sen-

1. *Ad Q. fr.*, 3, 1, 5, 18; cf. 3, 5, 3.
2. *Ad Q. fr.*, 2, 11, 1.
3. *Ad Q. fr.*, 2, 13, 2; 3, 8, 3; 3, 9, 6.
4. *Ad Att.*, 4, 16, 8.
5. Notulam vide qua J. V. Leclerc de Gabinio, Vatinio, aliisque ejus modi viris a Cicerone defensis veterum auctorum testimonia collegit (*Œuvres complètes de M. T. Cicéron, publiées en français avec le texte en regard*, 2e édit., Paris, 35 vol.; — vol. XXXV, p. 25 et 31).
6. Quae Ciceronem inter et Balbum aliosque Caesaris familiares fuerit necessitas pluribus locis disserit Jullien, *De L. Cornelio Balbo majore*, Lutetiae Parisiorum, apud Leroux, 1886; p. 75 sqq.; 85; 107 sqq.; 123.
7. Vid. inprimis epist. *ad Att.*, 12, 51, 2; 13, 27, 1; 13, 50, 1; 13, 51, 1. In illa etiam Catonis laudatione, cui ejusdem Catonis vituperatione rescripsit Caesar, contendebat valde Cicero ne quid summo opere dictatori displiceret. Quare in eo cavillabatur, πρόβλημα Ἀρχιμήδειον hoc opus esse. Vide inprimis *ad Att.*, 12, 4, 2. Cf. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 304-308, et Jullien, *de Balbo*, p. 112-113, dissensionem illam de Catone veteri Ciceronem inter et Caesarem familiaritati non offecisse explicantes.

tiret si nobiles optimosque viros victori submitteret, multos Caesari optimates conciliabat conjungebatque; velut Marcum Marcellum diligentissime precabatur ut Caesari sese commendari et Romam revocari sineret [1].

II

Quid multa? Satis scilicet demonstravimus a principibus Ciceronem observatum esse quod valeret litteris, et, ut aliquem locum in re publica teneret, eo adjutum esse, quod non rei publicae tantum, sed studiis etiam optimis operam tribueret. At cum populi omnis, non optimatum tantum, gratia et suffragiis ad amplissimos honorum gradus perveniendum esset si quis rem publicam vellet capessere, popularem etiam ventum Cicero quaereret et ad plebis voluntatem se accommodaret necesse fuit; atqui non eadem plebi quae principibus placebant, nec eadem fricti ciceris emptoribus quae Caesari aut Lucullo de liberalibus disciplinis sententia erat.

Veteres enim Romani quam fastidiose victarum gentium judicia, mores, artes respuerint, omnibus bene notum et compertum est. Quid enim bonum aut utile superbi aeque ac rustici victores opinarentur a victis secum communicatum iri? Quibus artibus non ad vincendum, sed ad parendum foede, qui eas colerent, adducerentur, eas ut externae gentes retinerent optabant, ipsi ab iis abhorrebant. Quin, Graecos cum animadverterent et doctrina, et omni litterarum genere, et, ne longus sim, artibus suis minus posse superari, ferociores erant

1. *Epist.*, 4, 7-10.

quam ut, jacturam facturi dignitatis, talibus armis cum Graecis contenderent. Quare factum est ut amplissimi saepius cives omnino fuerint illitterati, Catoque ipse, multis, ut temporibus illis, doctrinis instructus, rudem se esse simulaverit et Graecos sit aspernatus. Progrediente tamen aetate, sensim optimates se immutaverunt, Graeciaque capta lectissimos victorum cepit. Ac, postquam Catonem, jam senem factum, litteras graecas discere non puduit, quam multi litteras in se esse voluerunt, alii tantum vulgares, alii interiores quasdam et reconditas! Quam multi, sive patres sive equites erant [1], philosophiae simul ac publicae aut domesticae rei operam dederunt! Quam multi etiam, ut graece luculentius scirent, Graecos apud se multos annos habuerunt [2]! M. Tullii praesertim aetas quanto opere ornatorum hominum et eruditorum referta fuerit, quanto philosophiae, antiquitatum, grammaticae, doctrinarum omnium scientia claruerit, quid opus est denuo dicam? Sed studia haec plebi minime probabantur, quae, cum animadvertisset Graecos, intellegentes illos tabularum pictarum aut carminum existimatores, non jam publicam rem curare aut domesticam, et in vitiis libidinibusque saepius volutari, cumque diu non nisi servos, aut libertinos, aut infima saltem fortuna Romanos homines in litteris versari vidisset [3], consuetudinem suam tenens, eloquentiae tantum, vernaculae scilicet arti, aures praebebat, laudes

1. De Romanis negotiatoribus vide Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 124.
2. Vid. *pro Archia*, 3, 5; *in Pis.*, 28, 68; *de finib.*, 5, 3, 8; *Epist.*, 13, 16. Cf. Mommsen, *Histoire*, vol. VIII, p. 215-219; Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 182; Teuffel, § 164.
3. Vide Petitjean, *Lucilius. Rôle de Lucilius au point de vue littéraire et grammatical dans le progrès de la langue et de la littérature latines*, p. 238 et 337 (in *Annales de la Faculté des Lettres de Caen*, I).

tribuebat; ludicra arte, parva tamen existimatione adhibita, delectabatur; ceteris autem artibus, externis, ut aiebat, et pestiferis, non desierat repugnare. Crassus igitur et Antonius et alii bene politi, ut impolitis civibus se venditarent, doctrinae expertes se esse simulabant[1], Lucullusque in historias, quas quidem graecas composuerat, barbara quaedam et σόλοικα, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco dispergebat[2]. Qua tandem ratione M. Tullius, homo novus, traditum a prioribus morem solvere posset?

Hic enim, cum, triginta annos natus, Pythiae consilio ut obtemperaret ingenio potius suo quam plebis voluntati indulgere ipsum jubentis, rem publicam non attingeret, in scholis saepius quam in foro esset, litteris totum se abderet, haud raro plebeculam audiverat se usitatis « Graeculi et discipuli » verbis objurgantem[3]. Ubi vero in judiciis et contionibus versari, populique gratiam aucupari iterum coepit, ut nominum istorum invidiam a se amoveret merusque Romanus, non Graeculus, videretur elaboravit[4]. Quamobrem Graecos, a quibus ad ceteros

1. *De orat.*, 2, 1, 4. Cf. Ellendt, *Historia eloquentiae romanae usque ad Caesares primis lineis adumbrata*, p. 48 et 52 (in *Oratorum Romanorum fragmentis...* coll. atque illustr. Henr. Meyerus; editio parisina curis Fred. Dübner, Parisiis, 1837); Boissier, *le Poète Attius, étude sur la tragédie latine pendant la République*, Paris, 1857, p. 88-89; — V. Cucheval, *Histoire de l'éloquence latine depuis l'origine de Rome jusqu'à Cicéron d'après les notes de M. Ad. Berger*; 2e édit., Paris, Hachette, 2 vol., 1881, vol. II, p. 272; — Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 72-73.

2. *Ad Att.*, 1, 19, 10.

3. Plut. *vita Cic.*, 5. *Discipulum* pro hoc Ciceronis temporibus inaudito verbo *scholastico* posui, ut graecum σχολαστικόν redderem. Quid Plutarchi verba « Γραϊκὸς καὶ σχολαστικός » significaverint longius quidem quam erat necesse explanatum a Klee, *Qua de causa factum sit ut Cicero a nonnullis aequalibus suis* « Γραϊκὸς καὶ σχολαστικός » *nominaretur*, Ostrowo, 1877; p. 4-10.

4. Maignen, *Quid de signis...*, p. 20-21.

quam ut, jacturam facturi dignitatis, talibus armis cum Graecis contenderent. Quare factum est ut amplissimi saepius cives omnino fuerint illitterati, Catoque ipse, multis, ut temporibus illis, doctrinis instructus, rudem se esse simulaverit et Graecos sit aspernatus. Progrediente tamen aetate, sensim optimates se immutaverunt, Graeciaque capta lectissimos victorum cepit. Ac, postquam Catonem, jam senem factum, litteras graecas discere non puduit, quam multi litteras in se esse voluerunt, alii tantum vulgares, alii interiores quasdam et reconditas! Quam multi, sive patres sive equites erant[1], philosophiae simul ac publicae aut domesticae rei operam dederunt! Quam multi etiam, ut graece luculentius scirent, Graecos apud se multos annos habuerunt[2]! M. Tullii praesertim aetas quanto opere ornatorum hominum et eruditorum referta fuerit, quanto philosophiae, antiquitatum, grammaticae, doctrinarum omnium scientia claruerit, quid opus est denuo dicam? Sed studia haec plebi minime probabantur, quae, cum animadvertisset Graecos, intellegentes illos tabularum pictarum aut carminum existimatores, non jam publicam rem curare aut domesticam, et in vitiis libidinibusque saepius volutari, cumque diu non nisi servos, aut libertinos, aut infima saltem fortuna Romanos homines in litteris versari vidisset[3], consuetudinem suam tenens, eloquentiae tantum, vernaculae scilicet arti, aures praebebat, laudes

1. De Romanis negotiatoribus vide Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 124.
2. Vid. *pro Archia*, 3, 5; *in Pis.*, 28, 68; *de finib.*, 5, 3, 8; *Epist.*, 13, 16. Cf. Mommsen, *Histoire*, vol. VIII, p. 215-219; Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 182; Teuffel, § 164.
3. Vide Petitjean, *Lucilius. Rôle de Lucilius au point de vue littéraire et grammatical dans le progrès de la langue et de la littérature latines*, p. 238 et 337 (in *Annales de la Faculté des Lettres de Caen*, I).

tribuebat; ludicra arte, parva tamen existimatione adhibita, delectabatur; ceteris autem artibus, externis, ut aiebat, et pestiferis, non desierat repugnare. Crassus igitur et Antonius et alii bene politi, ut impolitis civibus se venditarent, doctrinae expertes se esse simulabant[1], Lucullusque in historias, quas quidem graecas composuerat, barbara quaedam et σόλοικα, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco dispergebat[2]. Qua tandem ratione M. Tullius, homo novus, traditum a prioribus morem solvere posset?

Hic enim, cum, triginta annos natus, Pythiae consilio ut obtemperaret ingenio potius suo quam plebis voluntati indulgere ipsum jubentis, rem publicam non attingeret, in scholis saepius quam in foro esset, litteris totum se abderet, haud raro plebeculam audiverat se usitatis « Graeculi et discipuli » verbis objurgantem[3]. Ubi vero in judiciis et contionibus versari, populique gratiam aucupari iterum coepit, ut nominum istorum invidiam a se amoveret merusque Romanus, non Graeculus, videretur elaboravit[4]. Quamobrem Graecos, a quibus ad ceteros

1. *De orat.*, 2, 1, 4. Cf. Ellendt, *Historia eloquentiae romanae usque ad Caesares primis lineis adumbrata*, p. 48 et 52 (in *Oratorum Romanorum fragmentis*... coll. atque illustr. Henr. Meyerus; editio parisina curis Fred. Dübner, Parisiis, 1837); Boissier, *le Poète Attius, étude sur la tragédie latine pendant la République*, Paris, 1857, p. 88-89; — V. Cucheval, *Histoire de l'éloquence latine depuis l'origine de Rome jusqu'à Cicéron d'après les notes de M. Ad. Berger*; 2e édit., Paris, Hachette, 2 vol., 1881, vol. II, p. 272; — Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 72-73.

2. *Ad Att.*, 1, 19, 10.

3. Plut. *vita Cic.*, 5. *Discipulum* pro hoc Ciceronis temporibus inaudito verbo *scholastico* posui, ut graecum σχολαστικόν redderem. Quid Plutarchi verba « Γραϊκὸς καὶ σχολαστικός » significaverint longius quidem quam erat necesse explanatum a Klee, *Qua de causa factum sit ut Cicero a nonnullis aequalibus suis* « Γραϊκὸς καὶ σχολαστικός » *nominaretur*, Ostrowo, 1877; p. 4-10.

4. Maignen, *Quid de signis...*, p. 20-21.

homines pervenisse humanitatem, quorumque praeceptis sese eruditum esse sentiebat[1], ita despicere consuevit, ut non in orationibus tantum, sed in libris etiam et epistulis eos leves, ineptos, neglegentes, fallaces, non satis animosos appellaret[2], utque Romanos pronuntiaret « omnia aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent[3] ». Immo quae didicisset, quae sciret, cum suae viam vitae ingrederetur, caute celabat, vixque, tempore interposito, postquam ad honores pervenit, patefecit.

Omnibus enim in orationibus quas ante habuit quam consul factus est, nullius doctrinae scientiam prae se tulit, nisi si juris peritus cogebatur videri, nullumque vel Romanorum vel Graecorum scriptorem commemoravit, nisi quod raro et verecunde in memoriam audientium verba aut facta reducebat quae in theatro plerique compererant. Velut, pro A. Caecina cum diceret, in Sex. Clodio, cui cognomen Phormio erat, cavillatus est, nec minus nigrum eum esse nec minus confidentem quam ille Terentianus esset Phormio, cum tamen nullo pacto nigrum Phormionem poeta descripserit, nigrumque tantum fuisse qui has partes suscepisset actorem verisimile sit[4]; anteaque, Sex. Roscii Amerini causam sustinens, cum Caecilianum quendam adulescentem Chaerestrati

1. *Ad Q. fr.*, 1, 1, 9, 27 et 28.
2. *Ad Q. fr.*, 1, 2, 2, 4; *de Orat.*, 2, 4, 18; *Tusc. disp.*, 1, 35, 86; *Epist.*, 16, 4, 2; *Tusc. disp.*, 2, 27, 65.
3. *Tusc. disp.*, 1, 1, 1.
4. *Pro A. Caecina*, 10, 27; de hoc loco a J. V. Leclerc, vel potius ab Augerio notulam mutuatus sum, eo confirmatam, quod Kubik, *de M. T. Cic. poet. lat. studiis*, p. 330, versus Terentii affert quibus Phormionem confidentem esse declaratur, nullum vero quo Phormio tamquam niger homo depingatur.

nomine vocavisset, proxima haec haud imprudens subjecerat : « nam, ut opinor, hoc nomine est[1]. » Quid autem de orationibus in Verrem dicam, quas etsi stilo confecit, non apud judices pronuntiavit, nihilominus voluit Cicero ab indocto et rustico homine compositas esse videri? Quamvis enim multa praeclarorum artificum opera eleganter describeret, sagaciter judicaret, se tamen rudem harum rerum esse, nec tam multum in istis rebus intellegere, quam multa vidisset, aiebat[2]; in artificum nominibus consulto haerens, nomenclatore, ut ita dicam, utebatur : « Canephoroe ipsae vocabantur, sed earum artificem, quem? quemnam? Recte admones, Polyclitum esse dicebant. — Hercules... is dicebatur esse Myronis, ut opinor, et certe[3] »; ac, tanta cura minus contentus, ne, quod nimis multa memoria teneret accusaretur, « nimirum, inquiebat, didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina[4] ». Quam ficto autem fastidio pulcherrima opera « hoc nescio quid nugatorium » appellavit, Graecosque miratus est rebus istis, quas ipse et Romani contemnerent, delectari, ipsumque se praedicavit ista ad suam rationem usumque suum non aestimare[5]!

Scilicet, cum ad vulgarem sensum orationem tam caute accommodaret, aedilis tantum Cicero designatus erat; nec tamen ex aedilitate et praetura audacia crevit. Consul etiam factus, Ennium ingeniosi poetae et auctoris valde

1. *Pro Sex. Roscio Amerino*, 16, 46.
2. *De praetura sicil.*, 35, 87; *de signis*, 43, 94; — cf. 2, 4.
3. *De signis*, 3, 5.
4. *De signis*, 2, 4.
5. *De signis*, 14, 33; 60, 134; 7, 13. De hac quam breviter perstrinximus materia vide E. Havet in *Revue des cours littéraires*, 20 août 1864; E. Bertrand, *De pictura et sculptura...*, p. 34-35 et 40; alios.

boni nominibus ornavit[1], sed, de Stoicorum placitis jocans, multa orationi pro Murena habitae aspersit, quae solis imperitis jucunda forent[2]. Quid ergo cessabat vir omnium bonarum artium studiosus libere loqui, quae sentiret aperire, quae amaret laudare, qualis homo esset profiteri? Tandem, quinque et quadraginta annos natus, postquam proximo anno et consulatum gesserat, et Urbem incendio ruinisque liberaverat, et immortalem gloriam consecutus erat, cum poetam ornatissimum eundemque suum familiarem, Quinto Cicerone praetore exercente judicium, defenderet, auctoritati quam permagnam apud cives nactus erat confisus et a diuturna discedere prudentia ausus est.

III

Multi quidem saepius quid in animo habuisset, quid sibi proposuisset Cicero cum orationem quae *pro Archia* inscribitur conficeret indagaverunt. Quorum alii Ciceronem, poetae rei occasione data, litterarum re vera et optimarum artium patrocinium suscepisse[3]; alii autem patronum, nihil aliud de litteris nisi quo causa fulciretur dicentem, unum Archiam in universa oratione spectasse et defendisse contendunt[4]. Neutris aut assentiri aut

1. *Pro Murena*, 14, 30.
2. Vide *de Fin.*, 4, 27, 74.
3. « On voit aussitôt que le procès d'Archias n'a fourni qu'un cadre, qu'il n'était qu'un prétexte; que la première partie serait plutôt que la seconde une digression; qu'elle n'est qu'un court préambule, destiné à amener la partie principale du discours, la *vraie cause*, à savoir la défense des études nouvelles.... » E. Thomas, *Discours de Cicéron pour le poète Archias....* Paris, Hachette, 1883; *Introduction*, p. 9.
4. « Le *pro Archia* est avant tout et directement un plaidoyer en

adversari omnino velim. Quippe oratorem Archiae nusquam oblitum esse argumento est partitio : « Perficiam profecto, inquit, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis asciscendum fuisse[1] »; est etiam, ne plura huc afferam, illa tamquam peroratio, quam in ore Ciceronis assidue esse queritur ipse Aemilius Thomas: *hunc... non defendendum putem* (8, 18), *hunc... repudiamus* (9, 19), *hunc... ejiciamus* (10, 22), item reliqua[2]. Rursum tamen haud facile concesserim Ciceronem qua sola ratione posset orationem disposuisse, nec quicquam addidisse, quod ut adderet litterarum potius quam Archiae amore, suaeque potius quam alienae famae conscientia adduceretur. Si enim nihil aliud egisset quam ut Archiam tutaretur, illum quidem demonstravisset civitate donatum esse[3]; cur vero tot fecisset verba ut, *etiam si civis non esset*, putarent judices *asciscendum* illum fuisse? Nempe, litterarum ultor et restitutor, cum opportunitate posset uti hominum litteratissimorum concursus, non absolutum poetam voluit, sed ovantem, nec animo aequo exceptas litteras, sed omni studio laudatas et celebratas. Si autem pro Archia tantum, non, ut complures animadverterunt[4], etiam pro se dixisset, illum quidem lauda-

faveur d'Archias, indirectement et subsidiairement une défense des lettres grecques. » Jos. Schyrgens, *Essai d'analyse oratoire du discours de Cicéron pour le poète Archias*. Liège, 1885; p. 12.

1. 2, 4.

2. Thomas, *introd.*, p. 15.

3. Quod demonstratum jam esse peroratamque esse causam bis confirmat Cicero antequam priorem orationis partem absolvit : « Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius; causa dicta est. » 4, 8; « Quaere argumenta, si quae potes : numquam enim hic neque suo neque amicorum judicio revincetur. » 6, 11.

4. Schneither, Aem. Thomas (vid. Thomas, p. 10, et contra eum Schyrgens, p. 22).

visset, vel quod interdum ex tempore, interdum postquam accurate cogitateque scripsisset, optimos diceret versus, vel quod non fortissimos modo viros, verum etiam populi Romani nomen suis libris illustraret; cur vero, iterum ac saepius de se loquens, narravisset quid ipse Archiae artibusque optimis deberet, quomodo Archias consulatum illum suum attigisset versibus atque inchoavisset, qua famae et immortalitatis spe sustentatus ipse in vitae periculis laboribusque versatus esset? Nempe judices persuasum habebat quicquid ad se clarissimum consularem atque parentem patriae attineret studiose audituros.

Quae cum ita essent, quam novo atque inusitato dicendi genere Cicero usus sit manifestum est, quod a judicibus in bonam partem exceptum iri cum certo sciret, saepius tamen illud ipse excusavit. Quis enim antea coram populo confessus erat ab optimarum artium studiis ac disciplina nullum aetatis suae tempus abhorruisse [1]? Quis solius eloquentiae aestimatores docuerat omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri [2]? Quis ferocibus priscorum agrestiumque morum laudatoribus ostenderat illustrissimos Romae jamdiu cives fuisse, et natura et doctrina simul eximios [3]? Quis denique docti otii contemptoribus explanaverat poesi quidem et aliis artibus non liberalissimam modo delectationem, sed etiam mentis vires suppeditari, virtutem ali atque augeri [4]?

Magni igitur hanc orationem aestimemus, summa

1. 1, 1.
2. 1, 2.
3. 7, 15-16. — Cf. 11, 27.
4. 7, 16; 6, 12; 6, 14, al.

laude afficiamus, qua sanctum nomen poetae praedicatur, Homerusque et Ennius celebrantur [1]. Ciceronem tamen agnoscamus, timide, ut ita dicam, audacem, tunc etiam cum plebis sensum redargueret, aliquatenus errore vulgi ductum esse. Nam se subsecivis tantum horis ad optima studia deditum esse asseveravit, et ideo sibi ut illud concederetur rogavit, quod ex his studiis illa quoque cresceret oratio et facultas quae numquam amicorum periculis defuisset [2]. « Ceteros pudeat, inquit, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre [3]. » At ipse, dum utile esse optimarum artium studium disserit, quid majus graviusque afferrent, qua ratione homines illo hominum nomine digniores efficerent, ac praestantissimum quemque juberent quod in se optimum haberet cum multis ita communicare, ut altius proveherentur, imprudens prudensve praetermisit.

Omnes a Cicerone post Archiam defensum habitas orationes longum est persequi et inutile; in quibus etsi nusquam extollendarum verbis litterarum hujusmodi locus datur, non jam dubitat M. Tullius sese litteris, immo graecis litteris eruditum ostendere; atque ita fatetur aut potius gloriatur se plus quam ceteros, qui aeque atque ipse sint occupati, versari in studio litterarum [4], ut suo desiderio, cum exsularet, omnia bonarum artium studia siluisse affirmet [5]. Nec secus eorum pro

1. 8, 18-19.
2. 6, 13.
3. 6, 12.
4. *De harusp. responso*, 9, 18.
5. *In P. Vatinium testem interrog.*, 3, 8.

visset, vel quod interdum ex tempore, interdum postquam accurate cogitateque scripsisset, optimos diceret versus, vel quod non fortissimos modo viros, verum etiam populi Romani nomen suis libris illustraret; cur vero, iterum ac saepius de se loquens, narravisset quid ipse Archiae artibusque optimis deberet, quomodo Archias consulatum illum suum attigisset versibus atque inchoavisset, qua famae et immortalitatis spe sustentatus ipse in vitae periculis laboribusque versatus esset? Nempe judices persuasum habebat quicquid ad se clarissimum consularem atque parentem patriae attineret studiose audituros.

Quae cum ita essent, quam novo atque inusitato dicendi genere Cicero usus sit manifestum est, quod a judicibus in bonam partem exceptum iri cum certo sciret, saepius tamen illud ipse excusavit. Quis enim antea coram populo confessus erat ab optimarum artium studiis ac disciplina nullum aetatis suae tempus abhorruisse [1]? Quis solius eloquentiae aestimatores docuerat omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri [2]? Quis ferocibus priscorum agrestiumque morum laudatoribus ostenderat illustrissimos Romae jamdiu cives fuisse, et natura et doctrina simul eximios [3]? Quis denique docti otii contemptoribus explanaverat poesi quidem et aliis artibus non liberalissimam modo delectationem, sed etiam mentis vires suppeditari, virtutem ali atque augeri [4]?

Magni igitur hanc orationem aestimemus, summa

1. 1, 1.
2. 1, 2.
3. 7, 15-16. — Cf. 11, 27.
4. 7, 16; 6, 12; 6, 14, al.

laude afficiamus, qua sanctum nomen poetae praedicatur, Homerusque et Ennius celebrantur [1]. Ciceronem tamen agnoscamus, timide, ut ita dicam, audacem, tunc etiam cum plebis sensum redargueret, aliquatenus errore vulgi ductum esse. Nam se subsecivis tantum horis ad optima studia deditum esse asseveravit, et ideo sibi ut illud concederetur rogavit, quod ex his studiis illa quoque cresceret oratio et facultas quae numquam amicorum periculis defuisset [2]. « Ceteros pudeat, inquit, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre [3]. » At ipse, dum utile esse optimarum artium studium disserit, quid majus graviusque afferrent, qua ratione homines illo hominum nomine digniores efficerent, ac praestantissimum quemque juberent quod in se optimum haberet cum multis ita communicare, ut altius proveherentur, imprudens prudensve praetermisit.

Omnes a Cicerone post Archiam defensum habitas orationes longum est persequi et inutile; in quibus etsi nusquam extollendarum verbis litterarum hujusmodi locus datur, non jam dubitat M. Tullius sese litteris, immo graecis litteris eruditum ostendere; atque ita fatetur aut potius gloriatur se plus quam ceteros, qui aeque atque ipse sint occupati, versari in studio litterarum [4], ut suo desiderio, cum exsularet, omnia bonarum artium studia siluisse affirmet [5]. Nec secus eorum pro

1. 8, 18-19.
2. 6, 13.
3. 6, 12.
4. *De harusp. responso*, 9, 18.
5. *In P. Vatinium testem interrog.*, 3, 8.

quibus dicit ingenio, studiis, doctrina delectatur [1], persaepe poetas laudat aut poetarum versus refert [2], quae praeclari in philosophia viri praecepta tradant docet [3], de vita et libellis doctorum Graecorum docte ipse disserit [4], postremo, morti proximus, hanc sibi debitam laudem tribuit, quam cum pluribus orationis pro Archia habitae verbis conferas velim : « Tantum dicam breviter (Marcum scilicet Antonium compellat) te neque *versus* neque ullas omnino litteras nosse : me nec rei publicae nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse, ut meae vigiliae meaeque litterae et juventuti utilitatis, et nomini Romano laudis aliquid afferrent [5]. »

Generosa quidem haec verba; quibus tamen patet Ciceronem semper cavisse, ne litteras eo praesertim quod jucundae essent et nobiles adamavisse videretur [6]. Atque item cetera illum cavisse facile demonstraremus [7], quae jam cum pro Archia diceret caverat. Quid vero mirum, si in vulgatis orationibus ne audientibus gravior esset providebat, cum ne in libris quidem, quos in paucorum manus venturos non ignorabat [8], ne quo-

1. *Pro Q. Ligario*, 3, 8; 5, 12.
2. Vide *de Provinc. consul.*, 9, 20; *pro L. Cornelio Balbo*, 22, 51; *pro Cn. Plancio*, 24, 59, aliosque locos permultos. In oratione *pro Balbo*, 16, 36, Cicero quid ea vox significet quae est « comiter » allato Ennii versu explicat.
3. *Pro M. Caelio*, 17, 41; *in L. Pisonem*, 28, 68.
4. *Pro C. Rabirio Post.*, 9, 23; *pro M. Scauro*, 3, 4.
5. *In M. Antonium*, 2, 8, 20.
6. Haec tantum prioribus verbis accedant : « Quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, cum otiosus sis, has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus », *pro Cn. Plancio*, 27, 66.
7. Vide *pro Cn. Plancio*, 30, 74; *in L. Pisonem*, 29, 71, aliosque locos.
8. Havet, *le Christianisme et ses Origines*, vol. II, p. 98 (apud Thiaucourt, *Essai sur les traités phil. de Cic.*, p. 249).

rundam aestimationem offenderet timere desierit? In libris enim, ad quos conficiendos bis, cum res publica praecipitaret otiumque esset, non requiescendi studio, sed negotii inopia constitutum [1], se contulit, eruditissimum se esse non dissimulavit, multosque, ut exemplum usurpem, artifices graecos aut laudavit aut reprehendit peritissime [2]; sed excusatione uti oportere illi visum est, quod de arte oratoria aut de philosophia libros conscriberet.

« Occurrebat enim, inquit [3], posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam mearum laudum, qui non censerent ejus viri esse, de cujus meritis tanta senatus judicia fecisset, comprobante populo romano, quanta de nullo, de artificio dicendi litteris tam multa mandare. » Quamobrem se et M. Bruto negare roganti noluisse, et dicendi praecepta et quasi vias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum, et dignitatem in docendo retenturum respondebat. Subito autem, missis ambagibus : « Ac fortasse, inquit, ceteri tectiores; ego semper me didicisse prae me tuli. Qui enim possem, cum et afuissem adulescens, et horum studiorum causa maria transissem, et doctissimis hominibus referta domus esset, et aliquae fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notae, cumque vulgo scripta nostra legerentur, dissimulare me didicisse? » Illa quidem aperte dixerat, apertius certe quam ut, finem prooemii faciens, excusationem jam in perpetuum dimitteret : « Quis igitur, inquit, se tam durum agrestemque praeberet, qui

1. *De off.*, 3, 1, 2.
2. *Brut.*, 18; *de Orat.*, passim.
3. *Orat.*, 41, 140; 42, 146; 43, 148.

hanc mihi non daret veniam, ut, cum meae forenses artes et actiones publicae concidissent, non me aut desidiae, quod facere non possum, aut maestitiae, cui resisto, potius quam litteris dederem? Quae quidem me antea in judicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi. » Quantum igitur fluctuarit et in diversum tractus sit manifestissime apparet.

IV

Quippe numquam, etsi rei publicae condicione scribere aliquid litterisque vacare cogebatur, cogitationem dimittebat quibus honoribus defunctus esset aut postea posset defungi. Atque etiam cum de latinis scriptoribus aut de lingua latina judicia faceret [1], non minus patriae quam litteris prospiciens, ut simul constans rei publicae defensor et bonus litterarum existimator videretur, consulebat [2]. Suorum igitur civium ingenia multum ceteris hominibus omnium gentium praestare interdum contendit [3], poetasque quos ipse minoris faciebat si quis aperte contempserat, eosdem acerrime, ne quid populi romani gloriae detraheretur, defendebat et laudibus efferebat. Velut Naevium, cujus fabulis parum studuisse Ciceronem, licet iis se delectari tamquam opere Myronis

1. De M. Tullio veterum poetarum latinorum judice vide Ernestum Schollmeyer, *Quid Cicero de poetis Romanorum judicaverit*, Halis, 1884; Patin, *Etudes sur la poésie latine, 2e édit.*, 2 vol., Paris, Hachette, 1875, II, 18-20, 62, 126, 130, 142, 415, aliosque locos; maximeque Kubik, *de M. T. Cic. poet. lat. st.*
2. Cf. Mommsen, vol. VIII, p. 221-222.
3. *De orat.*, 1, 4, 15; *Tusc. disp.*, 1, 1, 1.

profiteretur, manifestum est[1], adversus Ennium, qui in vatibus et Faunis Naevium annumeraverat, vehementissime defendit[2]. Atilio etiam, « poetae durissimo », adversus eos qui se latina scripta dicebant contemnere favit; unum enim ex istis Graeculis postquam induxit exclamantem : « *Synephebos* ego potius Caecilii aut *Andriam* Terentii quam utramque Menandri legam? » rursum ipse exclamat : « A quibus tantum dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit *Electram*, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem, de quo Licinius, *ferreum scriptorem*; verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. » Omnino enim rudem esse vel in humillimis Romanorum poetis « aut inertissimae segnitiae aut fastidii delicatissimi » esse censet.

Quanto autem clariore voce probabiliores scriptores legi jubet! « Quis, inquit, tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii *Medeam* aut *Antiopam* Pacuvii spernat aut rejiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, latinas litteras oderit[3]? » Ipse quidem tantum abest ut errore hoc imbutus sit, ut graecorum poetarum versus non nisi in epistulis memoret, latinorum vero in omnibus librorum suorum partibus aspergat, magis ac magis abundantes. Quin comoediae romanae potissimumque tragoediae se tam saepe peritissimum et amantissimum judicem[4] praebet; tot tragicorum fragmenta, non quae e libris tantum excerpserit,

1. Cf. Kubik, p. 254-256.
2. *Brut.*, 19, 75-76. — Cf. Kubik, p. 260, et de Plauto cum Attica comoedia prisca collato, p. 311-312.
3. *De fin.*, 1, 2, 4-5.
4. L. Brunel, *de tragoedia apud Romanos circa principatum Augusti corrupta*; Parisiis, apud Hachette, 1884; p. 7.

sed quae saepius in theatro audita memoria comprehenderit, usurpat [1]; tam multas Ennii, Accii, aliorum fabularum partes, nunc prolatis, nunc praetermissis poetarum nominibus, ante oculos, ut ita dicam, ponit [2], ut quicquid in scaena apud Romanos actum sit narrasse quodam modo videatur [3]. Quidni faceret? « Jactat, ut sagaciter inquit aliquis [4], immo tuetur artem quae tanta sit pars romanae gloriae, mox autem peritura esse videatur »; ac simul tragoediam jactando grato esse animo se confirmat, cum tam saepe qui fabulas in theatro spectarent, quosdam plaudendo versus, ipsum Brutumque familiarem amore, Pompeium et Caesarem inimicos odio prosecuti sint [5].

Quid quod poetas sibi probatissimos summis laudibus ad caelum efferebat? Ennium enim, ut qui novo numerosoque versuum genere latinam linguam donaverit, et clarissimos imperatores populique romani res gestas ornaverit, summum epicum poetam, poetamque egregium et ingeniosum, auctoremque valde bonum perhibet [6], immo cum Homero et cum Aeschylo comparat [7]. Pacuvium, quamvis male sit locutus [8], cum Sophocle confert, Accium cum Euripide [9]; quorum illum summum tragicum poetam dicit [10], hunc, quo jam annis provecto

1. Cf. Kubik, p. 272 aliisque multis locis.
2. *Tusc. disp.*, 2, 17, 39; 2, 21, 49-50. — Cf. Patin, *Et. sur la poésie lat.,* vol. II, p. 106-107, et Boissier, *Attius*, p. 8.
3. Patin, vol. II, p. 158.
4. Brunel, p. 26-27.
5. *Pro Sestio*, 56, 120 — 58, 123; *in M. Antonium*, 1, 15, 36; 10, 4, 8; *ad Att.*, 2, 19, 2. — Cf. Brunel, p. 23.
6. *De opt. gen. orat.*, 1, 2; *Tusc. disp.*, 3, 19, 45; *pro Mur.*, 14, 30.
7. *Orat.*, 31, 109; *Brut.*, 18, 71; *de Orat.*, 3, 7, 27.
8. *Brut.*, 74, 258.
9. *De orat.*, 3, 7, 27.
10. *De opt. gen. orat.*, 1, 2.

juvenis familiariter usus erat [1], gravem et ingeniosum poetam appellat [2]. Terentium quantis laudibus cumulet hi tantum qui de *Limone* supersunt versus documento sint :

> Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
> Conversum expressumque latina voce Menandrum
> In medium nobis sedatis motibus affers,
> Quiddam come loquens atque omnia dulcia miscens.

Lucilii autem ingenio quantum delectetur minime mirabitur, si quis animadverterit Ciceronem facete et breviter et acute loqui consuesse [3], dictorumque [4] ex illo genere nonnullam Romanos laudem adeptos arbitrari. Quare locum quendam laudat « cum multa venustate et omni sale » a Lucilio scriptum [5], Luciliique aemulo eidemque familiari suo ita gratulatur : « Accedunt non Attici, sed salsiores quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales ; ego autem — existimes licet quidlibet — mirifice capior facetiis, maxime nostratibus » ; deincepsque maestus : « moriar si, praeter te, quemquam reliquum habeo in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere [6] ».

Qui igitur tam gloriose veterem Romanorum urbani-

1. *Brut.*, 28, 107.
2. *Pro Planc.*, 24, 59.
3. Ciceronis facete dicta lege a C. F. W. Mueller collecta, et quid de sententiis suis, *si non perfacetis*, *at tamen fortasse non rusticis*, Cicero ipse senserit vide in oratione pro Cn. Plancio habita, 14, 35. — Cf. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 95.
4. De hoc vocabulo vide Macrob. *sat.*, 2, 1, 14.
5. *De fin.*, 1, 3, 9. De Cicerone Lucilii judice, praeter jam laudatos Patin et Kubik, vide L. Quicherat, *C. Lucili saturarum reliquiae,* in *Revue archéologique*, a. 1876, vol. XXXII, p. 117-118.
6. *Epist.,* 9, 15, 2. Quam argute Romanam *urbanitatem* cum τῷ ἀττικισμῷ contulerit J. Girard, vide in *Études sur l'éloquence attique ; Lysias, Hypéride, Démosthène*, Paris, Hachette, 1874, p. 60-63.

tatem ostentat, tamque vehementer timet ne semen urbanitatis una cum re publica intereat [1], ille enitatur necesse est ne imbecillitatis patrius sermo aut egestatis arguatur. Latinam igitur linguam saepe disserit, non modo non inopem, ut vulgo putent, sed locupletiorem etiam esse quam graecam [2], meliusque quam apud Graecos multa apud Latinos vocabula ficta esse, multas res nominatas [3]. At istas futiles esse sententias magisque consulari quam litterato homini accommodatas ipse quodam modo fatetur, qui novas sermoni patrio vires praebeat, vocabula nova adjiciat. Quam autem secum de hac re discors fuerit, vel unus *Tusculanarum disputationum* locus ostendet : litteratus enim, ut ita dicam, « haec duo, inquit, Graeci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant »; quod contra statim consularis : « O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia [4] ! »

1. *Epist.*, 7, 31, 2.
2. *De fin.*, 1, 3, 10; 3, 15, 51 (ubi Cato latinam linguam inopem, Cicero autem copiosam judicat).
3. *Tusc. disp.*, 2, 15, 35; 3, 5, 10, aliaque in eodem capite 5; 3, 10, 23; *Cato major,* 13, 45; *de Div.,* 1, 1, 1.
4. *Tusc. disp.*, 2, 15, 35.

CAPUT III

QUANTO OPERE, PATRIAE AMORE FAMAEQUE STUDIO IMPULSUS, CICERO, CUM A RE PUBLICA REMOTUS ESSET, UT AD MELIOREM STATUM ROMANORUM LITTERAS ET LINGUAM ADDUCERET ENISUS SIT.

I. De libellis ab adulescentulo Cicerone scriptis. Postea Cicero, quotiescumque a re publica exclusus est, toties ad scribendum ita se dat, ut famam suam publicamque rem procurare videatur. — II. Philosophiam Cicero Graecis eripit sibi et civibus suis profuturam, primusque in patriam perfert. — III. Ne quid a Graecis philosophorum Romanorum sermo mutuetur, latinis tantum versibus, et interdum suis, libros suos distinguit, linguamque vernaculam valde locupletat. — IV. De arte dicendi cum multis de causis, tum eo consilio Cicero scribit, ut « Atticos » oratores confutet suamque dicendi rationem verbis extollat. — V. Alia multa Cicero tractat, ut sibi gloriosum sit Graecis doctrinis omnibus Romanos potiri; historiam autem, ut sese laudet, rhetorice scribit.

Quanto opere Cicero Romanis litteris et sermoni consuluerit, cum veteres Romanorum scriptores Graecis scriptoribus et patrium sermonem graeco sermoni parem renuntiaret, nemo est qui non intellegat [1]. Multo tamen melius et de litteris patriis et de lingua promeruit, quod multis scriptis dignus est factus ut « facundiae latiarumque litterarum parens » appellaretur [2], linguamque

1. Nonne laudatis vetustissimis scriptoribus Cicero Quintilianum impulit ut aliqua laude veteres ipse prosequeretur? Vid. *de Instit. orat.*, 10, 1, 40.
2. Plin. major, *N. H.*, 7, 30 (31), 117.

aeque ac graecam locupletem re, non verbo reddere est conatus. Quod duplex opus, sicut consularis maxime quantam artium optimarum studio operam daret aperuit, item consularis potissimum aggressus est.

I

Ante enim quam consul creatus est, pauca tantum eo consilio, ut composite magis ornateque eloqui posset, conscripsit, quae sunt minoris facienda. Cujusmodi puero illi aut adulescentulo ex commentariolis quaedam inchoata ac rudia exciderunt [1], quibus quae ab Hermagora et Cornificio (si ita est ut Cornificius ad Herennium rhetoricam illam miserit) jam exposita dicendi praecepta erant continebantur. Itemque, ut verborum copiam augeret moderatamque orationem, qua dulcior nullus inveniri cantus potest [2], sibi pararet, carmina vel ipse composuit, vel a Graecis composita latine interpretatus est [3]; quem ad modum Arati probatissima illo tempore carmina in vernaculam linguam transtulit [4]; *Pontii Glauci, Nili*, aliorum argumenta poematum ab aliis poetis mutuatus est; elegiamque quandam Alexandrinorum

1. *De orat.*, 1, 2, 5.
2. *De orat.*, 2, 8, 34.
3. De adulescentuli Ciceronis poeticis exercitationibus vide Kubik, *de M. T. Cic. poet. lat. st.*, p. 240-241; — Max. Grollmi libellum qui inscribitur *de M. Tullio poeta. Particula prior. De inscriptionibus, de argumentis, de temporibus singulorum carminum.* Regimonti, 1887; — Ribbeck, *Geschichte der Roemischen Dichtung,* Stuttgart, Verlag der J. G. Gotta'schen Buchhandlung, vol. I, 1887, p. 299 sqq.
4. De Arato quid judicet Couat vide in *la Poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolémées* (304-223 av. J.-C.), Paris, Hachette, 1882, p. 446 sqq. et 487 sqq.; Aratum cum Cicerone comparat Patin, *Ét. sur la poésie lat.*, II, p. 457 sqq.; *Prognostica* eadem quo *Phaenomena* aetate conversa esse contendit Grollmus, *de M. T. poeta*, p. 15-17.

imitatus, primus fortasse nova poesis forma Romanos donavit [1]; quin, vestigiis Graecorum desertis, Ennium secutus Marium ornavit [2], immansuetum quidem virum, sed qui Arpinas ut ipse fuisset, homoque, ut ipse, novus summum in civitate locum obtinuisset, popularisque, cui tunc ipse faveret, factionis princeps vel demortuus haberetur. Tam multos autem versus properans et, ut ita dicam, stans pede in uno cum conscriberet, non sibi uni placebat [3], sed poetae Romanorum optimi famam et comparavit, et, donec Lucretii, Catulli, Vergilii versus editi sunt, obtinuit [4]. Quibus tamen cum minorem curam adhiberet, non ad excolendam Musam, sed ad eloquentiae laudem capessendamque rem publicam tota mente incumbebat.

Mox enim, clavum rei publicae tenens, versus et libellos componere destitit, ad quos non nisi ut consulatum ipse suum, exstinctosque a se belli civilis ignes latine et graece, versibus et soluta oratione celebraret brevi tempore rediit usque eo certe quoad, fortuna se inclinante, ad gubernacula Ciceronis inimici sederunt, et ipse, exsilii memor, vocem in contentionibus publicis summisit. Tum quidem, dum ruris amoenitatem salubritatemque sequitur, intermissa studia ut de oratoris

1. Elegiam enim, quam † Taleamastam inscriptam M. Tullio Ciceroni Servius attribuit, ab adulescente poeta compositam esse asserit Grollmus, p. 7-8. — Cf. Plessis, *Études sur Properce*, Paris, Hachette, 1886, p. 278.

2. Grollmus, p. 19-27, *Marium* disserit « inter annos 86-83, id est inter Marii mortem et Sullae ex Graecia reditum compositum esse ».

3. Vide quae in *de Leg.*, 1, 1, 1, ab Attico et Quinto Cicerone de quercu illa Mariana, « sata ingenio », dicantur.

4. Plutarchi *Vita Cic.*, 2. De Cicerone poeta vide quid judicent V. Faguet, *de Poetica M. Tullii Ciceronis facultate*, Pictavis, 1856, p. 48, 52-53, 81; et Patin, *Ét. sur la poésie lat.*, II, p. 415 sqq.

arte nova praecepta ederet revocavit, et de temporibus suis, ne omnino in oblivione egregius civis et consularis jaceret, grande carmen condidit, et, a re publica exclusus, fictam omnique, ut opinabatur, parte perfectam descripsit rem publicam, cujus simillimam esse labefactam ac prope eversam romanam civitatem, ironia utens, salse dicebat [1]. Denique, cum ad administrandam Ciliciam et ad sedandam, si sedari posset, civilem inter Caesarem et Pompeium discordiam aliquot annos contulisset, regnante Caesare et, post Caesaris necem, prostrati dictatoris stipatore, de oratoris arte novissima edisseruit, latinisque litteris philosophiam instituit illustrare.

Quid enim aliud faceret, cum a re publica forensibusque negotiis vi prohiberetur, neque esset usquam consilio aut auctoritati decus? Πολιτείας semper et nescio quid συμβουλευτικόν aut Ἡρακλείδειον cogitanti [2] nihil nisi Catonem aut Porciam laudare ut se pro cive gereret concedebatur; pristinis igitur orbatus muneribus, novum munus sustinere decrevit et, si minus in Curia atque in foro, at in libris sententiam dicere, contionari, gubernare rem publicam. Philosophiam sibi pro rei publicae procuratione substitutam cum putaret [3], rem publicam tamen non praetermisit, cujus studium simul cum regni odio in animis fovebat; et cives de contemnenda morte disputans confirmavit [4]; et de officiis multa, ut mores civitatis perditos restitueret, conscripsit [5], in quibus sae-

1. *Ad Att.*, 4, 19, 1.
2. *Epist.*, 9, 2, 5; *ad Att.*, 12, 40, 2; 15, 4, 3; 15, 13, 3; 15, 27, 2; 16, 2, 6.
3. *De div.*, 2, 2, 7.
4. *Ad Att.*, 15, 2, 4; 15, 4, 2 et 3.
5. Vide quae disputent Jeannel, *Unde hauriantur et quomodo sancian-*

pius maledictis Julium Caesarem lacessivit; adeo autem civilem scientiam, cum de philosophia ageretur, respexit, ut, de senectute loquens, pragmaticorum tantum hominum senectutem depinxerit.

II

Quae cum ita sint, minime quidem infitiandum ideo quoque Ciceroni propositum fuisse se totum philosophiae tradere, quod a primo tempore aetatis eo studio esset delectatus, defatigatusque animus et vel forensi clade vel domestico luctu aeger nullum majus miseriarum levamentum reperire posset. Aliis vero multisque de causis ad hoc non injucundum opus faciendum accedebat. Ipsi enim, quoniam oratorias exercitationes non reliquerat, valde proderat hoc genus philosophiae sequi, quod magnam habebat cum oratore societatem [1]; civibusque suis quoniam vel privatus operam navare praedicari cupiebat, nullam certe doctrinam potiorem judicabat, qua Romani doctiores fierent [2], et juventus institueretur, quae ita moribus prolapsa erat ut omnium opibus refrenanda esset atque coercenda [3]; civitati denique quid condonare poterat quod pluris ad decus et ad laudem interesset, nisi ut ereptae Graecis res tam graves tamque praeclarae latinis jam litteris continerentur [4]?

Nam etiam tum philosophia Graeciae, ubi nata esset,

tur M. T. Ciceronis officia, Lutetiae Parisiorum, Thorin, 1867, p. 29-30, et Thiaucourt, *Essai sur les traités phil. de Cic.*, p. 317.

1. *De fato*, 2, 3.
2. *De fin.*, 1, 4, 10.
3. *De div.*, 2, 2, 4.
4. *De nat. deorum*, 1, 4, 7.

arte nova praecepta ederet revocavit, et de temporibus suis, ne omnino in oblivione egregius civis et consularis jaceret, grande carmen condidit, et, a re publica exclusus, fictam omnique, ut opinabatur, parte perfectam descripsit rem publicam, cujus simillimam esse labefactam ac prope eversam romanam civitatem, ironia utens, salse dicebat [1]. Denique, cum ad administrandam Ciliciam et ad sedandam, si sedari posset, civilem inter Caesarem et Pompeium discordiam aliquot annos contulisset, regnante Caesare et, post Caesaris necem, prostrati dictatoris stipatore, de oratoris arte novissima edisseruit, latinisque litteris philosophiam instituit illustrare.

Quid enim aliud faceret, cum a re publica forensibusque negotiis vi prohiberetur, neque esset usquam consilio aut auctoritati decus? Πολιτείας semper et nescio quid συμβουλευτικόν aut Ἡρακλείδειον cogitanti [2] nihil nisi Catonem aut Porciam laudare ut se pro cive gereret concedebatur; pristinis igitur orbatus muneribus, novum munus sustinere decrevit et, si minus in Curia atque in foro, at in libris sententiam dicere, contionari, gubernare rem publicam. Philosophiam sibi pro rei publicae procuratione substitutam cum putaret [3], rem publicam tamen non praetermisit, cujus studium simul cum regni odio in animis fovebat; et cives de contemnenda morte disputans confirmavit [4]; et de officiis multa, ut mores civitatis perditos restitueret, conscripsit [5], in quibus sae-

1. *Ad Att.*, 4, 19, 1.
2. *Epist.*, 9, 2, 5; *ad Att.*, 12, 40, 2; 15, 4, 3; 15, 13, 3; 15, 27, 2; 16, 2, 6.
3. *De div.*, 2, 2, 7.
4. *Ad Att.*, 15, 2, 4; 15, 4, 2 et 3.
5. Vide quae disputent Jeannel, *Unde hauriantur et quomodo sancian-*

pius maledictis Julium Caesarem lacessivit; adeo autem civilem scientiam, cum de philosophia ageretur, respexit, ut, de senectute loquens, pragmaticorum tantum hominum senectutem depinxerit.

II

Quae cum ita sint, minime quidem infitiandum ideo quoque Ciceroni propositum fuisse se totum philosophiae tradere, quod a primo tempore aetatis eo studio esset delectatus, defatigatusque animus et vel forensi clade vel domestico luctu aeger nullum majus miseriarum levamentum reperire posset. Aliis vero multisque de causis ad hoc non injucundum opus faciendum accedebat. Ipsi enim, quoniam oratorias exercitationes non reliquerat, valde proderat hoc genus philosophiae sequi, quod magnam habebat cum oratore societatem [1]; civibusque suis quoniam vel privatus operam navare praedicari cupiebat, nullam certe doctrinam potiorem judicabat, qua Romani doctiores fierent [2], et juventus institueretur, quae ita moribus prolapsa erat ut omnium opibus refrenanda esset atque coercenda [3]; civitati denique quid condonare poterat quod pluris ad decus et ad laudem interesset, nisi ut ereptae Graecis res tam graves tamque praeclarae latinis jam litteris continerentur [4]?

Nam etiam tum philosophia Graeciae, ubi nata esset,

tur M. T. Ciceronis officia, Lutetiae Parisiorum, Thorin, 1867, p. 29-30, et Thiaucourt, *Essai sur les traités phil. de Cic.*, p. 317.

1. *De fato*, 2, 3.
2. *De fin.*, 1, 4, 10.
3. *De div.*, 2, 2, 4.
4. *De nat. deorum*, 1, 4, 7.

propria esse, Romae peregrinari tantum videbatur, quippe quam Romani veteres interdum coluissent, numquam, si pauca quaedam Ennii poetae praetereas, mandassent litteris [1], recentiores autem Epicurei ita tractavissent, ut, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputarent, nihil definirent, nihil partirentur, nihil apta interrogatione concluderent, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putarent [2]. His saltem verbis Cicero ipse Rabirium, Catium, Amafinium significat; quos cum saepius, merito quidem, ut putamus, irriserit, cur de Lucretio tacuerit difficile est statuere; nisi ingeniosi poetae carminibus teneri hominum litteratorum animos, non doceri philosophiam judicaverit. Soluta autem oratione recte M. Tullius primum se esse profitebatur qui philosophiae ita curam adhibuisset, ut libros, qui quidem legi possent, componeret, siquidem Varro ad impellendum satis, ad edocendum parum multis locis philosophiam inchoaverat [3].

Varronem scilicet, qui excelleret in philosophia, non fugerat quam civibus plerisque invisum Romanae philosophiae nomen esset, cum aliis suspectum esset quicquid non a majoribus esset traditum [4], alii stomacharentur quod magnum studium magnamque operam delecti viri, iique Romani, in graeco scribendi genere ponere curarent, alii denique, qui graecis litteris eruditi, in latinum

1. *Tusc. disp.*, 4, 3.
2. *Acad. post.*, 1, 2, 5. — Cf. *Tusc. disp.*, 1, 3, 6; 2, 3, 7; *de Fin.*, 3, 12, 40; et Olleris, *de Phaedro Epicureo sive de Romanis Epicuri sectatoribus circa Caesaris tempora*, Parisiis, 1841, p. 35.
3. *Acad. post.*, 1, 3, 9.
4. Boissier, *Étude sur la vie et les ouvrages de M. T. Varron*, Paris, Hachette, 1861, p. 59; Jullien, *les Professeurs de litt.*, p. 73.

conversa contemnerent, dicerent se in graecis legendis operam malle consumere [1]; quos ne offenderet, minus doctis ad legendum jucunditate quadam invitatis, philosophiam caute in illis, quos Menippum imitatus quadam hilaritate consperserat, libellis admiscuerat [2].

Primus igitur Cicero, quod latine docuerit philosophiam et ei lumen litterarum latinarum addiderit, laudetur; quamque valde optavit, hanc laudem obtineat, ut doctrinam, qua facile Graecia Romanos superabat non repugnantes, languenti jam Graeciae eripuerit et pertulerit in Urbem suam [3]. Magnificum quidem illud, ut ipse aiebat, Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egerent; « quod assequar profecto, inquiebat, si instituta perfecero [4] ». Totam enim sibi philosophiam pertractandam proposuerat, et, quamquam quod intenderat efficere omnino non potuit, cui, cum statuisset ad filium multa post libros *de Officiis* scribere [5], vita misere erepta sit, haud parvam tamen philosophiae partem, hoc studio cottidie ingravescente, illustravit. Vide enim in libri alterius *de Divinatione* initio quam multos scripserit de variis quaestionibus libellos, quamque multae Graecorum philosophorum disciplinae apud Romanos tandem per eum pernotuerint. Academicam enim philosophandi rationem, quam multitudini inprimis suspectam maxime ipse sequebatur, saepius defendit et praedicavit [6]; et stoicorum e fontibus

1. *De fin.*, 1, 1, 1.
2. *Acad. post.*, 1, 2, 8. — Cf. Boissier, *Varron*, p. 61 sqq.
3. Vide *Tusc. disp.*, 2, 2, 5, et *de Off.*, 2, 2, 5.
4. *De div.*, 2, 2, 4-6. — Cf. *de Nat. deorum*, 1, 4, 9.
5. *De off.*, 1, 2, 4.
6. Vide *Academicorum priorum* et *posteriorum* libros, itemque *Tusc.*

quae praecipienda sibi de officiis viderentur hausit [1]; et Epicuri rationem, quam libentissime redarguebat, ita tamen exposuit ut, ipsius quidem sententia, ab ipsis, qui eam disciplinam probarent, non soleret accuratius explicari [2]; nec quid de diis et de natura deorum, quid de superstitione, quid de divinatione, de haruspicina, de augurum jure gens quaeque philosophorum sentiret, celavit. Platonem autem, qui princeps de re publica idemque separatim de legibus ejus conscripserat, tantum ipse et de re publica et de legibus conscribens imitatus est, quantum a cive Romano consentaneum erat philosophum, et, ut ita dicam, poetam Graecum exprimi [3]. Ita effecit ut philosophiam quam multis locis [4], in eoque inprimis libro qui *Hortensius* inscriptus est, collaudaverat, multis probaret commendaretque. Quo enim modo possent invidi vituperatores non confutari et benevoli objurgatores non placari [5], cum Cicero et utilem philosophiam esse ostenderet, et de rebus obscuris dilucide, graviter, ornate diceret [6], et cur legerent poetas latinos, splendide loquentem latinum philosophum non legerent Graecis litteris eruditos rogaret [7]?

disp., 2, 2, 4; 5, 4, 11; 5, 11, 33; *de Nat. deorum*, 1, 1, 1; 1, 3, 6; 1, 5; *de Off.*, 2, 2, 7-8.

1. *De off.*, 1, 2, 6.
2. *De fin.*, 1, 5, 13.
3. Vid. *de Re publ.*, 2, 11, 21-22. — Cf. Thiaucourt, *Essai sur les traités phil.*, p. 19-20, et Ch. de Rémusat, *Préface du* « de Legibus » in Cic. operibus a D. Nisard editis, vol. IV, p. 356 sqq. (*Œuvres complètes de Cic. avec la traduction en français*, Paris, Dubochet, 1850, 5 vol.).
4. Verbi causa, huc *Tusc. disp.*, 3, 1, 1; 3, 3, 6; 5, 2 adducemus.
5. Cf. *de Nat. deorum*, 1, 3, 5.
6. Vide quas sibi ipse laudes M. Tullius tribuat, alios quidem inducendo loquentes, *de Re publ.*, 1, 23, 37; *de Nat. deorum*, 1, 21, 58.
7. *Acad. post.*, 1, 3, 10; *de Fin.*, 1, 2, 6; 1, 3, 7.

III

Ceterum, libros de philosophia aut de arte oratoria conscriptos, quo magis legentibus accepti essent, versibus permultis distinxit et tamquam luminibus ornavit: quod institutum tanto studio servavit, ut in novo quoque senescentis Ciceronis libro major quam antea versuum numerus inveniretur [1], multique vel alias, vel maxime in *Tusculanis disputationibus* versus afferrentur, quibus ad propositum enucleandum minime opus esset, ad ornandam orationem tantummodo scriptor uteretur. At, quamquam illum morem a philosophis Graecis mutuabatur [2], qui tam saepe in epistulis graece scripta ex memoria attulit, idem in libris numquam versibus nisi lingua vernacula scriptis usus est [3]. Multa igitur a poetis Graecis ita accurate transferebat ut nihil posset supra, itaque feliciter ut, Herculis et Promethei questus exprimens, auctores Sophoclem et Aeschylum proxime sequeretur, aut iis antecelleret [4]. Atque, cum, ne quo ornamento in hoc genere disputationis latina oratio careret, eniteretur, testimonium simul ingenii sui dabat; eodemque consilio nonnulla e propriis excerpta carminibus referebat [5]. Patriae vero ut erat amans, quemad-

1. Kubik, *de M. Cic. poet. lat. st.*, p. 242.
2. *Tusc. disp.*, 2, 11, 26. — Cf. Thiaucourt, p. 120.
3. Quantam in difficultatem res incurreret, Cicero ipse aperit : « Vulgo dicitur, inquit...; nec male Euripides (concludam, si potero, latine; graecum enim hunc versum nostis omnes) :
Suavis laborum est praeteritorum memoria », *de Fin.*, 2, 32, 105.
4. *Tusc. disp.*, 2, 8-10. — Cf. Boissier, *Attius*, p. 33-34, et Faguet, *de Poet. M. T. Cic. fac.*, p. 83.
5. Versus e *Mario* excerpti referuntur in *de Div.*, 1, 47, 106. In *de Div.*, 1, 11-13, leguntur versus « quos in secundo de consulatu Urania Musa pronuntiabat ».

quae praecipienda sibi de officiis viderentur hausit [1]; et Epicuri rationem, quam libentissime redarguebat, ita tamen exposuit ut, ipsius quidem sententia, ab ipsis, qui eam disciplinam probarent, non soleret accuratius explicari [2]; nec quid de diis et de natura deorum, quid de superstitione, quid de divinatione, de haruspicina, de augurum jure gens quaeque philosophorum sentiret, celavit. Platonem autem, qui princeps de re publica idemque separatim de legibus ejus conscripserat, tantum ipse et de re publica et de legibus conscribens imitatus est, quantum a cive Romano consentaneum erat philosophum, et, ut ita dicam, poetam Graecum exprimi [3]. Ita effecit ut philosophiam quam multis locis [4], in eoque inprimis libro qui *Hortensius* inscriptus est, collaudaverat, multis probaret commendaretque. Quo enim modo possent invidi vituperatores non confutari et benevoli objurgatores non placari [5], cum Cicero et utilem philosophiam esse ostenderet, et de rebus obscuris dilucide, graviter, ornate diceret [6], et cur legerent poetas latinos, splendide loquentem latinum philosophum non legerent Graecis litteris eruditos rogaret [7]?

disp., 2, 2, 4; 5, 4, 11; 5, 11, 33; *de Nat. deorum*, 1, 1, 1; 1, 3, 6; 1, 5; *de Off.*, 2, 2, 7-8.

1. *De off.*, 1, 2, 6.
2. *De fin.*, 1, 5, 13.
3. Vid. *de Re publ.*, 2, 11, 21-22. — Cf. Thiaucourt, *Essai sur les traités phil.*, p. 19-20, et Ch. de Rémusat, *Préface du* « de Legibus » in Cic. operibus a D. Nisard editis, vol. IV, p. 356 sqq. (*Œuvres complètes de Cic. avec la traduction en français*, Paris, Dubochet, 1850, 5 vol.).
4. Verbi causa, huc *Tusc. disp.*, 3, 1, 1; 3, 3, 6; 5, 2 adducemus.
5. Cf. *de Nat. deorum*, 1, 3, 5.
6. Vide quas sibi ipse laudes M. Tullius tribuat, alios quidem inducendo loquentes, *de Re publ.*, 1, 23, 37; *de Nat. deorum*, 1, 21, 58.
7. *Acad. post.*, 1, 3, 10; *de Fin.*, 1, 2, 6; 1, 3, 7.

III

Ceterum, libros de philosophia aut de arte oratoria conscriptos, quo magis legentibus accepti essent, versibus permultis distinxit et tamquam luminibus ornavit: quod institutum tanto studio servavit, ut in novo quoque senescentis Ciceronis libro major quam antea versuum numerus inveniretur [1], multique vel alias, vel maxime in *Tusculanis disputationibus* versus afferrentur, quibus ad propositum enucleandum minime opus esset, ad ornandam orationem tantummodo scriptor uteretur. At, quamquam illum morem a philosophis Graecis mutuabatur [2], qui tam saepe in epistulis graece scripta ex memoria attulit, idem in libris numquam versibus nisi lingua vernacula scriptis usus est [3]. Multa igitur a poetis Graecis ita accurate transferebat ut nihil posset supra, itaque feliciter ut, Herculis et Promethei questus exprimens, auctores Sophoclem et Aeschylum proxime sequeretur, aut iis antecelleret [4]. Atque, cum, ne quo ornamento in hoc genere disputationis latina oratio careret, eniteretur, testimonium simul ingenii sui dabat; eodemque consilio nonnulla e propriis excerpta carminibus referebat [5]. Patriae vero ut erat amans, quemad-

1. Kubik, *de M. Cic. poet. lat. st.*, p. 242.
2. *Tusc. disp.*, 2, 11, 26. — Cf. Thiaucourt, p. 120.
3. Quantam in difficultatem res incurreret, Cicero ipse aperit : « Vulgo dicitur, inquit...; nec male Euripides (concludam, si potero, latine; graecum enim hunc versum nostis omnes) :

Suavis laborum est praeteritorum memoria », *de Fin.*, 2, 32, 105.

4. *Tusc. disp.*, 2, 8-10. — Cf. Boissier, *Attius*, p. 33-34, et Faguet, *de Poet. M. T. Cic. fac.*, p. 83.
5. Versus e *Mario* excerpti referuntur in *de Div.*, 1, 47, 106. In *de Div.*, 1, 11-13, leguntur versus « quos in secundo de consulatu Urania Musa pronuntiabat ».

modum summa cum cura Romanos illustres aeque ac Graecos commemorabat vel potius Graecis anteponebat [1], ita Romanos poetas, de quibus antea quid Cicero sentiret disputavimus, saepius et libentius quam Graecos laudabat proferebatque [2], nec illorum dura obsoletaque compositione deterrebatur.

Tanti autem erga patriam amoris pretium statim tulit. Quamquam enim Ennii Acciique versus, dum carmina condit, imitabatur, ipsius tamen in carminibus flexibile magis et concinnum nescio quid esse apparuit [3]; soluta autem oratio quanto priscorum poetarum versibus antecelleret, et quam prope ad graecum sermonem, cum latini tamen servaret sermonis virtutes, accederet, quis non miraretur? Cum enim cuperet M. Tullius graecis vocabulis, quibus ipse in epistulis saepissime utebatur, cives suos non egere, omnia latine, cum libros componeret, exprimere decrevit, nec plus graece in latino sermone quam in graeco latine loqui [4], sermonisque latini paupertatem, immo egestatem submovere. Quod, quamvis difficile factu, ut efficeret, a veteribus quidem scriptoribus quaedam, non nimio tamen studio, mutuatus est [5]; plura

1. *Tusc. disp.*, 1, 30, 74; *de Amicit.*, 2, 6-10. In *de Div.*, 1, 26, 55, postquam Q. Tullus multa ex annalibus Graecorum excerpta commemoravit, haec addit : « Sed quid ego Graecorum? Nescio quo modo me magis nostra delectant ». Marcusque rursum, 2, 3, 8 : « Stoice stoicorum sententiam defendisti, quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es, et iis quidem claris et illustribus. »

2. Quos potissimum Latinorum poetarum locos libris suis inseruerit M. Tullius, vide apud Kubik, p. 346-347.

3. Boissier, *Attius*, p. 9; Patin, *Ét. sur la poésie lat.*, vol. I, p. 79.

4. *Tusc. disp.*, 1, 8, 15; *de Re publ.*, 1, 42, 65.

5. Sic in *Timaeo*, 11, 39, vetere verbo, « prosapia » utitur. — Cf. Kubik, p. 345; Patin, I, 337, et opusculum hoc quod in *Revue des Revues et publications d'académies*, a. 1885, p. 10, laudatum invenimus : Schaefler, *Cicéron et l'Ancienne Comédie romaine.*

vero novavit finxitque [1], in quo bene etiam de civibus meritus est, quod eos non modo copia rerum, sed etiam verborum augebat [2]; denique, cum valde timeret ne, nimis multa si pareret vocabula, contra linguam latinam aliquid auderet, saepissime quod uno Graeci, idem pluribus verbis exposuit, variisque dicendi rationibus est usus quae incorporalium, ut grammaticorum vocabula usurpemus, nominum praestarent vicem, ab usu Latinorum paene abhorrentium [3]. Itaque permulta dixit quae dici latine posse omnes diffiderent, tantumque sibi visus est in philosophia profecisse, ut a Graecis ne verborum quidem copia Romani vincerentur [4].

Nec tantum cum philosophiam latinis litteris persequeretur, id effecit « ut idoneam rebus inusitatis linguam effingeret » [5]; patrium enim sermonem, cum rhetoricos libros conscriberet, non pariter quidem, magno tamen opere locupletavit [6]. Ceterum, duo haec genera quadam ex parte similia inter se esse neminem fugit, cum vel philosophans Cicero potissimum rhetorice dicat, quaestionesque tamquam « scholas » Graecorum more explicet [7],

1. Vide *Tusc. disp.*, 1, 7, 14; 3, 9, 20; 4, 7, 16; 4, 11, 25; 4,15, 34; *de Nat. deorum*, 1, 17, 44; 1, 39, 109; 2, 11, 29; *de Div.*, 2, 53, 108; *Timaeum*, 4, 13; 7, 23. — Cf. *de Fin.*, 3, 1, 3-2, 5; 3, 4, 15-16; Plutarchi *Vitam Cic.*, 40, et *Revue des Revues*, a. 1881, p. 313, ubi opusculum a C. M. Francken scriptum laudatur.

2. Hanc laudem Cicero ipse Varroni tribuit in *Acad. post.*, 1, 7, 26.

3. Vide inprimis H. Goelzer, *Étude lexicographique et grammaticale sur la latinité de saint Jérôme*, Paris, Hachette, 1884, p. 16-19.

4. *De fin.*, 5, 32, 96; *de Nat. deorum*, 1, 4, 8.

5. V. Clavel, *de M. Cicerone Graecorum interprete...* Paris, Hachette, 1868; p. 312.

6. Lege Ch. Causeret, *Étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron*, Paris, Hachette, 1886, inprimis p. 13-22 et 207-210.

7. *De fin.*, 2, 6, 17; *Tusc. disp.*, 1, 4, 7; 1, 47, 112; 2, 3, 9; 3, 6, 13. — Cf. Bernhardy, *Grundriss der Roemischen Literatur*, *5te Bearbeitung*, Braunschweig, 1872, p. 63.

modum summa cum cura Romanos illustres aeque ac Graecos commemorabat vel potius Graecis anteponebat[1], ita Romanos poetas, de quibus antea quid Cicero sentiret disputavimus, saepius et libentius quam Graecos laudabat proferebatque[2], nec illorum dura obsoletaque compositione deterrebatur.

Tanti autem erga patriam amoris pretium statim tulit. Quamquam enim Ennii Acciique versus, dum carmina condit, imitabatur, ipsius tamen in carminibus flexibile magis et concinnum nescio quid esse apparuit[3]; soluta autem oratio quanto priscorum poetarum versibus antecelleret, et quam prope ad graecum sermonem, cum latini tamen servaret sermonis virtutes, accederet, quis non miraretur? Cum enim cuperet M. Tullius graecis vocabulis, quibus ipse in epistulis saepissime utebatur, cives suos non egere, omnia latine, cum libros componeret, exprimere decrevit, nec plus graece in latino sermone quam in graeco latine loqui[4], sermonisque latini paupertatem, immo egestatem submovere. Quod, quamvis difficile factu, ut efficeret, a veteribus quidem scriptoribus quaedam, non nimio tamen studio, mutuatus est[5]; plura

1. *Tusc. disp.*, 1, 30, 74; *de Amicit.*, 2, 6-10. In *de Div.*, 1, 26, 55, postquam Q. Tullus multa ex annalibus Graecorum excerpta commemoravit, haec addit : « Sed quid ego Graecorum? Nescio quo modo me magis nostra delectant ». Marcusque rursum, 2, 3, 8 : « Stoice stoicorum sententiam defendisti, quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es, et iis quidem claris et illustribus. »

2. Quos potissimum Latinorum poetarum locos libris suis inseruerit M. Tullius, vide apud Kubik, p. 346-347.

3. Boissier, *Attius*, p. 9; Patin, *Ét. sur la poésie lat.*, vol. I, p. 79.

4. *Tusc. disp.*, 1, 8, 15; *de Re publ.*, 1, 42, 65.

5. Sic in *Timaeo*, 11, 39, vetere verbo, « prosapia » utitur. — Cf. Kubik, p. 345; Patin, I, 337, et opusculum hoc quod in *Revue des Revues et publications d'académies*, a. 1885, p. 10, laudatum invenimus : Schaefler, *Cicéron et l'Ancienne Comédie romaine.*

vero novavit finxitque [1], in quo bene etiam de civibus meritus est, quod eos non modo copia rerum, sed etiam verborum augebat [2]; denique, cum valde timeret ne, nimis multa si pareret vocabula, contra linguam latinam aliquid auderet, saepissime quod uno Graeci, idem pluribus verbis exposuit, variisque dicendi rationibus est usus quae incorporalium, ut grammaticorum vocabula usurpemus, nominum praestarent vicem, ab usu Latinorum paene abhorrentium [3]. Itaque permulta dixit quae dici latine posse omnes diffiderent, tantumque sibi visus est in philosophia profecisse, ut a Graecis ne verborum quidem copia Romani vincerentur [4].

Nec tantum cum philosophiam latinis litteris persequeretur, id effecit « ut idoneam rebus inusitatis linguam effingeret » [5]; patrium enim sermonem, cum rhetoricos libros conscriberet, non pariter quidem, magno tamen opere locupletavit [6]. Ceterum, duo haec genera quadam ex parte similia inter se esse neminem fugit, cum vel philosophans Cicero potissimum rhetorice dicat, quaestionesque tamquam « scholas » Graecorum more explicet [7],

1. Vide *Tusc. disp.*, 1, 7, 14; 3, 9, 20; 4, 7, 16; 4, 11, 25; 4,15, 34; *de Nat. deorum*, 1, 17, 44; 1, 39, 109; 2, 11, 29; *de Div.*, 2, 53, 108; *Timaeum*, 4, 13; 7, 23. — Cf. *de Fin.*, 3, 1, 3-2, 5; 3, 4, 15-16; Plutarchi *Vitam Cic.*, 40, et *Revue des Revues*, a. 1881, p. 313, ubi opusculum a C. M. Francken scriptum laudatur.

2. Hanc laudem Cicero ipse Varroni tribuit in *Acad. post.*, 1, 7, 26.

3. Vide inprimis H. Goelzer, *Étude lexicographique et grammaticale sur la latinité de saint Jérôme*, Paris, Hachette, 1884, p. 16-19.

4. *De fin.*, 5, 32, 96; *de Nat. deorum*, 1, 4, 8.

5. V. Clavel, *de M. Cicerone Graecorum interprete...* Paris, Hachette, 1868; p. 312.

6. Lege Ch. Causeret, *Étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron*, Paris, Hachette, 1886, inprimis p. 13-22 et 207-210.

7. *De fin.*, 2, 6, 17; *Tusc. disp.*, 1, 4, 7; 1, 47, 112; 2, 3, 9; 3, 6, 13. — Cf. Bernhardy, *Grundriss der Roemischen Literatur*, *5te Bearbeitung*, Braunschweig, 1872, p. 63.

Academiaeque consuetudinem de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, quod sit ea maxima dicendi exercitatio, teneat.

IV

Neque tamen ut sermonem latinum locupletaret praecipua fuit Ciceroni causa de rhetorica scribendi; sed praeterquam quod hac quoque in re suos beneficio se afficere posse speravit non exiguo, suae laudi et apud aequales et apud posteros prospicere suamque dicendi rationem tueri et contra gravissimos adversariorum impetus defendere voluit.

Itaque cum de arte dicendi male rhetores Latini praecepta traderent [1], et ipse adulescentulus jejune, frigide, fastidiose scripsisset, eodem fere quo libros *de Re publica* tempore, tres dialogos *de Oratore* edidit, quos diligenter perfectos, diuque et multum in manibus habitos vehementer ipse probabat [2]. His enim quicquid in Graecorum libris ad informandum oratorem plane valebat cives suos ita docuit, ut eorum quae praecipue Romanis ingeniis apta essent rationem haberet, quoque excelleret ipse dicendi genus callide laudaret, omninoque scriptor elegans et jucundus, summusque latinitatis [3] auctor videretur. Tantum igitur opus scripsisse satis cum habere Cicero posset, decem fere post annis libros duos de arte oratoria conscripsit, quorum alter *Brutus sive de claris*

1. Bernhardy, *Grundriss*, p. 63; Jullien, *les Prof. de litt.*, p. 95-96.
2. *Ad. Att.*, 4, 13, 2; 13, 19, 4.
3. Quid inter libros *de inventione* et dialogos *de Oratore* intersit aperit Causeret, *Ét. sur la langue de la rhét. et de la crit. lit. dans Cic.*, p. 6-9.

oratoribus, alter *Orator* inscriptus est. Illos autem cum dialogis *de Oratore* artissime cohaerere perspicuum est, cum Cicero primum ad informandum oratorem praecepta posuerit, postea omnes qui Romae vixissent oratores, ratione temporum adhibita, enumeraverit et secundum praecepta sua judicaverit, postremum qualis sit orator ille quaesierit, quo praecepta omnia tenente omnesque qui re ipsa exstiterint oratores superante nemo esse possit praestantior. Neque tamen ideo tantum Ciceroni *Brutus* et *Orator* in manibus fuisse putandi sunt ut jam editis de arte dicendi libris cumulus accederet, cum contra multis aliis causis ad hos posteriores libros conficiendos impulsum esse non semel sit explanatum [1].

Nos quidem quicquid hac de re dici potest dicere nolumus; nec quid Attico Brutoque petentibus concesserit explicabimus, nec quanto opere a Graecis palmam eloquentiae cum Romanis communicari cupierit, nec quo sublatae jam rei publicae desiderio teneri cives jusserit, sublatam eloquentiam desiderando, quae « pacis comes otiique socia et bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam [2] » fuisset. Hoc tantum nobis satis sit referre, Ciceronem numquam, cum *Brutum* et *Oratorem* componeret, has curas dimisisse, ut qui se ipsum incessere ausi essent illis repugnaret audaciamque contunderet, utque quantam laudem sibi orator peperisset ne obliviscerentur homines impetraret.

1. Lege Weber, *Quibus de causis Cicero post libros de oratore editos etiam* « Brutum » *scripserit et* « Oratorem », Leisnig, 1880; Mueller, *Brutus de claris oratoribus, eine selbstvertheidigung des M. Tullius Cicero*, Colberg, 1874; *Cicéron et ses ennemis littéraires*, ou le *Brutus*, l'*Orator* et le *de Optimo genere oratorum*. Traduit d'une préface de M. O. Jahn par F. Gache et J. Sully Piquet. Paris, Klincksieck, 1886.
2. *Brut.*, 12, 45. — Cf. Weber, p. 2, et Mueller.

Paucis enim ante annis, factio quaedam oratorum constituta erat, qui, M. Calidio primum, postea Licinio Calvo duce [1], dum genere uno dicendi quod tenue vocatur utuntur, certosque Graecorum oratores consectantur, Atticos se dici volebant et in Ciceronem invehebantur [2]. Quae simultates cum acriores in dies fierent, verisimile est Atticis, uti se ferebant, oratoribus valde profuisse quod Cicero, dum Ciliciam administrat, longe ab Urbe afuit [3]. Ubi vero ille in Italiam rediit, exarsit tantum pugna quantum per civiles discordias licebat, epistulaeque a Calvo et Bruto ad Ciceronem, a Cicerone ad Calvum et Brutum missae sunt, quibus quid utraque factio sentiret disceptabatur, ex quibus, ut in Taciti *dialogo* scriptum est, facile erat deprehendere Calvum quidem Ciceroni videri exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque disjunctum, rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audire, tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verba usurpentur, tamquam fractum atque elumbem [4]. Postremum, ubi Cicero, a re publica remotus, ad conscribendos libros se

1. De M. Calidio vide *Brut.*, 79, 274 — 80, 279; cf. Lud. Moll, *de Temporibus epistularum Tullianarum quaestiones selectae*, Berolini, 1883, p. 5-8. — De Calvo vide Ellendt, *Hist. eloquentiae rom.*, p. 83-87; Couat, *Étude sur Catulle*, Paris, Thorin, 1875, p. 103 sqq.; H. Lantoine, *de Cicerone contra oratores Atticos disputante*, Paris, Thorin, 1874, p. 30-40; F. Plessis, *Essai sur Calvus*, in *Annales de la Fac. des lettres de Caen,* vol. I, p. 175-194.

2. De Cicerone contra Atticos disputante lepide scripsit H. Lantoine, op. l. — Cf. Ciceroni infensissimum scriptorem Mommsen, *Hist. rom.*, vol. VIII, p. 279-280,

3. Illud proposuit Otto Harnecker, *Cicero und die Attiker,* inprimis p. 608-609 (vide *Neue Jahrbuecher fuer Philologie und Paedagogik*, a. 1882, vol. 125).

4. *Dialog. de oratoribus,* 18. — Cf. Harnecker, *Cic. und die Att.*, 604-606 et 609-610, quocum non omnino consentire J. H. Schmalz ex *Revue des Revues*, a. 1886, p. 94, didicimus.

rettulit, tum adversarios ferire et omnino dejicere decrevit.

Quid enim? Fastidiosi illi homines Graecorumque tantum studiosi Romanorum oratores contemnebant; Cicero contra quam multi Romae dixissent et quam multis complures virtutibus enituissent in *Bruto* suo ostendit. Illi non optimum quemque Graecorum, sed Lysiam unice aut Thucydidem aut Xenophontem imitabantur; Cicero contra Lysiae, Thucydidi, Xenophonti debitas quidem laudes tribuit, sed Isocratem simul, et Platonem, et Demetrium Phalereum, et ante omnes Demosthenem laudavit. Illi doctis tantum et delicatis, non multitudini placere volebant; Cicero contra necesse esse contendebat, qui ita diceret, ut a multitudine probaretur, eundem etiam doctis probari [1]. Illi omnibus causis unum subtile dicendi genus adhibebant; Cicero contra medium etiam et grande saepius adhibenda esse censuit, optimumque esse oratorem, qui dicendo animos audientium et doceret et delectaret et permoveret [2]. Illi denique, cum Asianorum in numero oratorum Ciceronem annumerarent, inflatum illum esse et tumentem, nec satis pressum, sed supra modum exsultantem ac paene viro molliorem dictitabant [3]; Cicero contra et Atticos istos irrisit qui, cum grande nihil possent, non satis habebant non contemni, laudari etiam volebant [4],

1. *Brut.*, 49, 184, sqq.
2. *De opt. gen. orat.*, 1, 3.
3. Tacit., *Dial. de orat.*, 18; Quintil., *de Inst. orat.*, 12, 10, 12; sequentia legas velim de Asianis, Atticis, Rhodiis oratoribus; Atticumque vere, ut jam ab aliis dictum est, libellum conferas de Lysia a J. Girard conscriptum, *Et. sur l'éloq. att.*, p. 52, 65.... Nec praetermittam Lantoine, p. 10 sqq.
4. *Orat.*, 51, 171.

et saepissime genus orationis suum, suum ingenium praedicavit.

Cum enim Antonius Hortensiusque Asianos oratores, inflatos et inanes, essent imitati, Cicero quoque juvenis « omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione » dixerat[1]. Mox vero, postquam Moloni se applicavit, isque redundantem juvenem et superfluentem repressit et quasi extra ripas diffluentem coercuit[2], in Rhodio genere potissimum elaboravit et, quid ingenio Romanorum auribusque maxime congrueret intellegens, promeruit ut Cicero non viri, sed eloquentiae Romanae nomen haberetur[3]. Ipse igitur quibus laudibus ornandus esset in libris de quibus nunc loquimur aperte professus est. In *Bruto* enim, quamquam permultos enumerabat qui dicere cupissent, paucos potuisse iterum ac saepius voluit perspici[4], ut dignorum memoria oratorum gloria augeretur; et quamvis Catonem, Gracchos, Crassum, Hortensium vehementer laudaret, cujusque tamen vitia notavit, Atticumque induxit veteres omnes carpentem, ne antiquariis — qui jam nonnulli erant[5] — concedere ut ipse a superioribus vinci oratoribus posset videretur. Immo, postquam Crassum laudibus extulit : « quod idcirco posui, inquit, ut dicendi latine prima maturitas in qua aetate exstitisset, posset notari, et intellegeretur jam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a

1. *Brut.*, 91, 313.
2. *Brut.*, 91, 316.
3. Lantoine, p. 16 et 82.
4. *Brut.*, 36, 137; 49, 182; 69, 244. — Cf. Jahn, *Cic. et ses ennemis litt.*, p. 42.
5. Vide Lantoine, p. 67-68.

jure civili, ab historia fuisset instructior. » — « Erit, inquit Brutus, aut jam est iste, quem exspectas. » — « Nescio », inquit Cicero [1]. Quis autem nescisse Ciceronem credat? aut quis potius talibus verbis non certior fiat Ciceronem sibi eum esse visum, qui ad summum eloquentiam Romanam perduxisset, cum praesertim fusius ipse eodem in libro explicaverit se a philosophia, a jure civili, ab historia, ab aliisque doctrinis penitus instructum esse.

Ceterum, idem in *Oratore* se multum tribuisse latinis, vel ut hortaretur alios vel quod amaret suos, professus est, longeque omnibus unum anteferre Demosthenem [2]. Se cum Demosthene tantum comparari passus, duos omnino oratores ad illum proximos accedere docuit perfectissimum oratorem quem fingere animo et mente concipere possumus, non oculis et auribus percipere. Immo, suas ubique orationes protulit, suis exemplis est usus, sua de compositione, quam numerosam nonnulli reprehendebant, plura quam quisquam de compositione antea, dixit [3]; nec in *Oratore* tantum, sed in libello etiam qui *de Optimo genere oratorum* inscribitur, aliasque saepe, grande orationis genus, quo unus fere valeret, commendavit [4], suamque ipse eloquentiam optimam omnium esse, vix exquisitis ambagibus, pronuntiavit.

Quibus controversiis, qua sui laude non Atticorum quidem optimos ad suam dicendi rationem redegit, qui

1. *Brut.*, 43, 161. — Plura vide apud Weber, *Quibus de causis*, p. 5-6, et apud Jahn, *Cic. et ses ennemis litt.*, p. 44-47.
2. *Orat.*, 7, 23.
3. *Orat.*, 67, 226. — Cf. Jahn, p. 59-62.
4. *Brut.*, 84, 290; *Tusc. disp.*, 2, 1, 3; *de Div.*, 1, 37, 80. — « Recte Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistula scribit : Nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam judico. » Sic Quintilianus, 8, 3, 6.

tamen necessitudine quadam cum Cicerone essent juncti, Brutum, Cornificium, Atticum, Julium Caesarem. At factionem illam oratorum, qui arrogantia, non ingenio conspicui, iniquissimam litem de principatu eloquentiae cum ipso diu habuerant [1], tacere et evanescere, postquam decessit Calvus, qui fuit longe inter homines consulari infensos praestantissimus, jussit. Istos enim jam in *Bruto* asseverabat, cum dicerent, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinqui [2]. Moxque in *Tusculanis disputationibus* genus Atticorum cavillatus est « qui jam conticuerant paene ab ipso foro irrisi [3] ». Postea demum, demortuum Ciceronem lacessere rursum Attici, rursum antiquarii inceperunt [4].

V

Quaecumque autem ea fuere, quibus ad disputandum contra aequales quosdam M. Tullius adductus est, certe in eo gloriabatur quod tam multa tentavisset : « nemo enim, inquit, orator tam multa ne in graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra, eaque hanc ipsam habent quam probo varietatem [5] »; necnon valde enitebatur ut, cum Molonis olim discipulum non sine timore admirantis questus [6] summo opere comprobaret,

1. Vide Senecam, *Controvers.*, 7, 4, 6, de Calvo ipso loquentem.
2. *Brut.*, 84, 289. — Cf. *de Opt. gen. orat.*, 4, 11.
3. *Tusc. disp.*, 2, 1, 3.
4. De Asinio Pollione et de Asinio Gallo vide Aulard, *de Caii Asinii Pollionis vita et scriptis*, Parisiis, apud Thorin, 1877, p. 68-70 et 75-77.
5. *Orat.*, 30, 108. Haec etiam verba animadvertas velim : « Et id quidem nemini video Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret, sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus, nisi forte Demetrius Phalereus. » (*De off.*, 1, 1. 3.)
6. Plutarchi *Vita Cic.*, 4.

Graeciae quicquid egregium expetendumque superesset eriperet, itaque de populi Romani nomine et dignitate bene mereretur. Quamobrem artem dicendi et philosophiam civibus suis cum exhiberet, Platonis copiam et gravitatem, jucunditatem Theophrasti, Aristotelis robur et auctoritatem effingere conatus est, saepiusque, ut ipse sentiebat, obscura dixit planius quam a Graecis dicebantur [1]. Et Platonis divini philosophi inprimis aemulatus morem, non quae sciret aut sentiret ipse docere cives voluit, sed tum celeberrimos qui Romae vixissent viros, tum se ipsum familiaresque suos induxit de proposita re colloquentes [2]. Antea autem, quamquam superiores eas tantum orationes in publicum ediderant, quibus de suadenda aut impugnanda lege, de re publica administranda, de Romanis scilicet rebus agebatur, ipse orationes quae pro privatis hominibus essent habitae nec ullo pacto ad rem publicam pertinerent pervulgavit [3], ut vel in minoribus causis eloquentiam suam cum eloquentia Graecorum conferri juberet mirandamque omnibus proponeret. Epistulas etiam, quas humiliore, sed lepido tamen sermone composuerat, cum « συναγωγαὶ » epistularum apud Graecos essent, haud multum afuit quin recognosceret, corrigeret, ipse ederet [4]. Denique dicendi leges, quae apud Varronem, Caesarem, aequales multos in gratia erant, adeo non neglexit, ut filium saepe reprehenderit,

1. *Tusc. disp.*, 1, 5, 10. — Cf. 4, 14, 33, et *de Off.*, 1, 1, 2.
2. De Ciceronis dialogis vide Mommsen, vol. VIII, p. 280-283; qua ratione Cicero optimum quemque Graecorum scriptorem sibi visus sit superare facete aperit idem, p. 276.
3. Mommsen, vol. VIII, p. 274-275; Teuffel, § 152, 2.
4. *Ad Att.*, 16, 5, 5. Quid adversus Ciceronem et Plinium, quod epistulas ipsi suas ediderint aut edere voluerint, iratus scripserit Montaigne, bene notum est (*Essais*, I, 39).

multa in epistulis de sermone disputarit, libellumque scripserit qui non superest, qui vel *de Orthographia* vel *de Arte grammatica* inscribebatur [1].

Majoris vero laboris artem, quam apud Graecos multi fecerant amplissimam, Romae pauci ita coluerant ut aliqua digni laude viderentur, aggressus est; et nisi immaturam mortem obisset, inter optimos historiarum scriptores illum futurum fuisse Cornelius quidem Nepos his verbis censuit : « Non ignorare debes, unum hoc genus latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus qui potuerit, et etiam debuerit, historiam digna voce pronuntiare, quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a majoribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam latinam sua confirmaverit oratione : ex quo dubito, interitu ejus utrum res publica, an historia magis doleat [2]. » Non nostrum est quid in hoc Cornelii Nepotis judicio verum, quid falsum sit disceptare [3], nec, collectis omnibus quas de historia Cicero tulit sententiis, quaerendum nobis esse videtur rectene an prave, quid veritati, quid arti historiarum scriptor debeat, ille senserit [4]. Hoc unum videri-

1. Vide Quintil. *de Inst. orat.*, 1, 7, 34 et 10, 7, 28; Auli Gellii *Noct. Attic.*, 10, 1, 7; Jullien, *les Prof. de litt.*, p. 224. Ciceronis de arte grammatica libellum indice veteris bibliothecae, a. 1464 conscripto, significari docuit E. Zarncke in *Commentationibus in honorem Guilelmi Studemund*, p. 181 sqq. (Vide Salomon Reinach in *Revue critique*, a. 1889, vol. II, p. 164).

2. *Cornelius Nepos, texte latin publié... par* M. Alfred Monginot, Paris, Hachette, 1868, p. 360-361.

3. Vide, exempli causa, quid Mongault et J. V. Leclerc scripserint (vol. XXIV, p. 495-496). — Cf. Teuffel, § 186 ed. V (188 ed. III).

4. Quod facere tentavit Berns, *Abhandlung über Ciceros Ansicht von der Geschichte*, Attendorn, 1880.

mus, qua mente et quem ad finem ad historiam scribendam non semel se contulerit.

Nulla autem alia de causa Cicero primum ad illud munus suscipiendum adductus est, nisi ut consulatum suum laudibus prosequeretur et ad caelum extolleret. Quamquam enim Atticus et Posidonius et alii aliqua graece de illustrissimo amici consulatu componebant, Thyillusque et Archias carmina se condituros promiserant, quae quidem vix inchoata, numquam perfecta sunt, ipse commentarium rerum suarum edidit graece scriptum, qui, ut ait, « totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes ejus discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit [1] ». Ac simul, dum in manibus latinum commentarium habebat, quem non perfecisse videtur, versibus hexametris poema latine condidit « ne quod genus ab ipso laudis suae praetermitteretur [2] ». Quatenus autem, talia cum scriberet, veritatis diligens fuerit indagare poterimus, si epistulam illam ad Lucceium missam, ut is exstinctae conjurationis historiam conscriberet, memoria repetierimus. « Te, inquit, plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam quam fortasse sentis, et in eo leges historiae neglegas..., amorique nostro plusculum etiam, quam concedet veritas, largiare [3]. »

1. *Ad Att.*, 2, 1, 1. — Cf. *ad Att.*, 1, 16, 15; 1, 19, 10; 1, 20, 6.
2. *Ad Att.*, 1, 19, 10. — Cf. de illis M. Tullii libris Grollmum, *de M. T. poeta*, p. 29-30.
3. *Epist.*, 5, 12, 3. Haec iratus de Cicerone et de Plinio minore scripsit philosophus noster Montaigne : « Infinis témoignages de nature oultre mesure ambitieuse, entre aultres, qu'ils solicitent, au sceu de tout le monde, les historiens de leurs temps de ne les oublier en leurs registres : et la fortune, comme par despit, a fait durer jusques à nous la vanité de ces requestes, et piéça fait perdre ces histoires. » (*Essais*, I, 39.)

Multi tamen, progrediente aetate, ut populi Romani facta conquireret ornaretque Ciceronem adhortabantur, in quibus Hortensius, Atticus, Quintus frater [1]; et ipse, incredibiliter Attici cohortationibus commotus, studio ardebat historiae. Quid vero, ut *Admiranda* fere ignota praetermittamus, nisi ut sese ipsum laudaret, conscripsit? Carmen enim *de Temporibus suis*, id est de exsilio redituque [2], et ἀνέκδοτα panxit Theopompio genere aut etiam asperiore multo, quibus amicos gratia, inimicos contumelia prosequeretur [3]. Quid fratri respondebat, ut ab ultimis Romae temporibus scribendae historiae exordium caperet suadenti, nisi se aequalem aetatis suae memoriam deposcere, ut Cn. Pompeii laudes illustraret incurreretque in illum memorabilem annum suum [4]? Studio igitur historiae cum arderet, gloriae potissimum cupiditate suae incensus erat.

Tamen, cur efficere se posse profiteretur, ut in hoc etiam genere Graecis nihil Romani cederent, causa non deerat, quippe cum opus hoc unum maxime oratorium esse plerique tum arbitrarentur [5]. Geographia non item, sed magnum opus et sterile; quapropter, postquam constituerat Cicero, ut Attico satisfaceret, terrarum descriptionem ab Eratosthene, Serapione, Hipparcho mutuari, mox incepto destitit, resque dimisit difficiles

1. *Hortensii* fragm. 46 (ex Nonio, p. 204, 4); *de Leg.*, 1, 2, 5; *ad Att.*, 14, 14, 5; 16, 13ᶜ, 2.

2. Quo tempore scriptum sit vide apud Grollmum *de M. T. poeta*, p. 34, sqq.

3. *Ad Att.*, 14, 17,6 (a. 710). Ἀνέκδοτα in manibus sibi esse ad Atticum jam scripserat Cicero, 2, 6, 2 (a. 695); hoc autem opus incertum est an ab illo opere diversum sit. — Vid. Boot, *ad Attic.*, 14, 17, 6.

4. *De leg.*, 1, 2, 5; 1, 3, 8.

5. Postea etiam Quintilianus, 2, 18, 5 : « historiis, quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus ». — Cf. *de Leg.*, 1, 2, 5.

ad explicandum et ὁμοειδεῖς et quae minus possent ἀνθηρογραφεῖσθαι quam essent visae [1].

Permulta igitur tractavit M. Tullius, sed nec ita gratuito ut litteris tantum consuluerit, nec ita nove ut priorum quos imitabatur rhetorum et philosophorum doctrinis aliquid quod esset magni momenti adjicere sit conatus. Ipse enim de philosophiae operibus : « ἀπόγραφα sunt », inquiebat, id est ex aliorum libris descripta; « minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo [2] ». Modesta tamen haec nimis; quippe et de rhetorica et de philosophia ita bene promeruit, ut apud Romanos artes illae ex scholarum umbraculis non modo in lucem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque [3] processerint, neminique nisi ab litteris omnino alieno ignotae exstiterint. Qua autem ratione melius scriptor fecundi artificis nomen nanciscatur [4]? Et quotiescumque aliquid scripsit, sermonis latini studio illius flagravit, quem divitem, nobilem, Graeco parem

1. *Ad Att.*, 2, 4, 3; 2, 6, 1.
2. *Ad Att.*, 12, 52, 3. — Cf. Madvig, *M. Tullii Cic. de fin. bon. et malor.*, *l. V*, Hauniae, 1876, praefationis p. LXI-LXVII; — Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 30; — Thiaucourt, *Essai sur les traités phil.*, p. 328.
3. Vide quid Cicero ipse de Phalereo Demetrio profiteatur, *de Leg.*, 3, 6, 14.
4. Vide F. Brunetière, *Revue des Deux Mondes*, 15 sept. 1888 : « Tel est ce mérite, si considérable, et qui n'appartient guère dans l'histoire de la littérature qu'à de très grands esprits, d'avoir étendu le domaine lui-même de la littérature, et conséquemment de l'action littéraire, en y faisant entrer ce qui n'y était pas jusqu'alors contenu.... A tout un ordre de faits et d'idées qui jusqu'alors n'avait guère occupé que les savants dans leurs laboratoires, il (Buffon) a intéressé tous les « honnêtes gens », les beaux esprits et les femmes, en leur en révélant l'existence. Mais, on ne saurait trop le redire, si l'invention littéraire est vraiment quelque part, elle est là, dans l'invention des moyens qui, du demi-jour ou de l'obscurité de la technologie, font passer les idées dans le courant de la circulation intellectuelle générale. Un grand écrivain, c'est celui qui, concevant une semblable ambition, trouve en lui ce qu'il faut pour la réaliser. » (P. 449-450.)

reddiderat. « Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem, locos quoque laetiores attentavit et quasdam sententias invenit. » Ita Aper in Taciti *dialogo*[1], multaeque etiam his laudibus laudes adjungi possunt.

1. *Dial. de oratoribus*, 22. Mommsen ipse quantum sermone valuerit Cicero fatetur, vol. VIII, p. 213. Bertrand legas velim, *de Pict. et Sculp. apud veteres rhet.*, p. 29-32 et 53-54 : « Sed aliud quidpiam elucebat, non minus inauditum atque insolens, tot artium scilicet comprehensio, quarum scientia rhetor instructus ex alienis artificiis plurima sumebat, unde proprium suum artificium illustraret. »

CAPUT IV

NUM GRATIS CICERO, LITTERATORUM VIRORUM PATRONUS, ERUDITIS FAVERIT ET BENEFECERIT

Litteris inserviendo plerumque id Cicero efficit, ut vel de se meritis gratiam referat, vel homines sibi reique publicae profuturos ad se alliciat. — I. Ciceronis cum familiaribus principibusque civitatis commercium. — II. Discipulis suis merita dat Cicero et a discipulis recipit. — III. Aliis viris doctis haud gratuito operam navat. — IV. De carmine Catulli 49. Cicero raptim Lucretii *de Rerum natura* libros emendat et in publicum edit.

Operae pretium fore olim putaram, quomodo M. Tullius ad artes optimas colendas familiares suos impulerit, et quibus officiis viros artibus optimis deditos prosecutus sit enodatius explicare; nec hanc spem abjicio, opus illud a me, jam diu apparatum, absolutum iri aliquando et editum. Hic vero nihil attinet talia longius inquirere, cum eo pacto non simus melius comperturi quatenus artium optimarum amator Cicero exstiterit.

Quid enim? Modo familiares eos ad litteras colendas impulit, a quibus ipse impulsus erat; modo eorum qui in magna erant aut futuri esse videbantur potestate benevolentiam et auxilium commercio litterarum allexit; modo viris doctis ita usus est, ut, quod sibi prodesse possent aut eadem quae ipse de re publica sentirent, idcirco maxime illos diligere soleret.

I

In magistros enim suos quam voluntatem usque habuerit supra dixi, quippe qui a Diodoto, Philone, Antiocho, Posidonio[1], L. Aelio Stilone, aliisque informatum esse se profiteretur. Attici autem vita saepius perscripta est[2], quam ut de familiarissimo Ciceronis amico verba multa faciam; at ille plura in Ciceronem contulit quam a Cicerone accepit beneficia. Libris enim ab amico suo de re publica conscriptis ad veterum rerum romanarum memoriam comprehendendam impulsus est atque incensus[3]; posteaque in dialogos inclusus est, qui acuta atque jucunda diceret, aut libris qui de senectute et de amicitia ad eum missi sunt est delectatus. Ipse vero non modo delectationem Ciceroni, sed etiam, ut ait Cicero, salutem attulit[4], cum ad illum *Annalem* misit, quo libro memoriae veteris ordo breviter explicabatur; commentarioque Graece scripto[5] et epigrammatis, quae in Amaltheo posuerat[6], insignem illum amici consulatum celebravit. Praeterea, M. Tullium saepissime hortatus est ut opus aliquod aggrederetur, et de amicitia scriberet, Ἡρακλείδειον aliquid conficeret, historiae geo-

1. De Posidonio vide de Burigny, *Sur le philosophe Posidonius* (*Histoire de l'Acad. royale des Inscript. et Belles-Lettres*, Paris, 1764, vol. XXIX, p. 177-185).
2. Inprimis commemorabo libros a Boissier et a Fialon compositos : *Cicéron et ses amis*, p. 129-166; *Thesis in Titum Pomponium Atticum...*, Lutetiae Parisiorum, apud Durand, 1861.
3. *Brut.*, 5, 19.
4. *Brut.*, 3, 13. — Cf. *Orat.*, 34, 120.
5. *Ad Att.*, 2, 1, 1.
6. *Ad Att.*, 1, 16, 15.

graphiaeque operam daret[1]. Historiae romanae peritissimus, plura vel de factis vel de viris Ciceronem docebat, quae in libros suos ille transferre posset[2]; voluminaque cum permulta haberet, thesauros, ut Ciceronis verbum usurpem, suos illi patere jubebat[3]. Immo, Tullianorum studiorum vere socius, sibi haec scripta probari, illa non placere ita consulenti scriptori renuntiabat, ut ex his ἄνθη poneret, illa cerulis miniatulis notaret[4]; postquam autem aliquid probaverat, id praeclare in conviviis, cum anagnostas optimos haberet, iis qui intellegebant venditabat[5]. Nec adjiciam quanto opere villas ornandas, statuas emendas, libros faciendos collocandosque curando M. Tullii commodis inservierit; hoc notatione dignius, quod Ciceroni cum Hortensio, Bruto, Varrone amicitiam usque conciliavit.

Varro [6] autem, in re publica cum Cicerone nonnumquam congressus, cum tandem litteris se totum dedisset, *Academica* accepit ea conditione ad se missa, ut ipse ad Ciceronem libros aliquot de lingua latina mitteret[7]. Viam autem ad exhibendam philosophiam Ciceroni patefecerat, diligentissimusque antiquitatis investigator [8] multas de rebus aut de scriptoribus romanis sententias dixerat,

1. *Ad Att.*, 2, 14, 2; *de Amicitia*, 1, 4; *ad Att.*, 16, 11, 3; 16, 13[c], 2; 2, 4, 3, aliisque locis.
2. *Ad Att.*, 12, 5, 3; 13, 6, 4.
3. *Ad Att.*, 4, 14, 1; 13, 8; 13, 32, 2; 15, 27, 2.
4. *Ad. Att.*, 16, 11, 1; 1, 13, 5; 4, 8[b], 3; 15, 14, 4.
5. *Ad Att.*, 13, 12, 2; 13, 19, 2; 16, 2, 6; 16, 3, 1. — Cf. Corn. Nepotis *Vitam Attici*, 13, 3 et 14, 1.
6. Boissier, *Varron;* Ch. Labitte, *Varron et ses Ménippées*, p. 88-91, in *Études littéraires...*, Paris, Durand, 2 vol.
7. Vide *ad Att.*, 4; 16, 2, permultosque libri 13 locos, quos enumerare longum est; *Acad. post.*, 1, 1, 2-3; *Epist.*, 9, 8, 1.
8. *Brut.*, 15, 60.

quas Cicero secutus est [1]. Denique, Trebatium Testam quam saepe et quam diligenter M. Tullius Caesari Caesarisque familiaribus commendaverit [2] omnes norunt : qua re gratias jureconsulto referebat, quod ab illo jus civile didicisset [3]; posteaque, cum Trebatius ipsi multa saepe scripsisset [4], *Topica* quae usu facilia reddere instituerat, ad illum misit.

Jam ad eos veniamus, quibus potestate vel potitis vel potituris operam Cicero dedit. Inter quos tamen Caesarem silentio praeteribimus, qui quid rationis cum Cicerone habuerit paucis ante explanavimus, Caesarisque legatos, quoniam plerorumque mentionem mox sumus facturi. Brutus autem [5] quam magnam exspectationem sustinuit ! Cujus certe ingenium, studia, mores M. Tullius valde amavit, sperabat vero fore ut illustribus factis mox in re publica ille praestaret. Rei publicae igitur dum una consulebant, Cicero ad Brutum, a quo non modo impulsus erat ad philosophiae scriptiones, verum etiam lacessitus [6], pulcherrimos omnium quos de philosophia conscripsit librorum mittebat; Catonem, ut Bruto hortanti pareret [7], laudabat; librumque, jam ad Brutum missa eloquentiae romanae historia, qui *Orator* inscribitur, ipsius precibus paene adductus [8], scribebat, ut ad verissimum dicendi

1. Vide Kubik, *de M. T. Cic. poet. lat. st.*, p. 252, 253, 286, 312, 322, aliisque locis.
2. *Epist.*, 7, 5—7, 18; *ad. Q. fr.*, 2, 13, 3; 3, 1, 3, 9. — Cf. Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 244, 248.
3. *Epist.*, 7, 11, 1.
4. *Topica*, 1, 4.
5. Vide Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 321-379, et Lantoine, *de Cic. contra Atticos disputante*, p. 41-60 : *de M. J. Bruti eloquentia.*
6. *Tusc. disp.*, 5, 41, 121; 1, 1, 1.
7. *Orat.*, 10, 35.
8. *Ad Att.*, 14, 20, 3.

genus « Atticorum » vitiis imbutum revocaret[1]. Illi vero, qui omni genere laudis, historia, philosophia, eloquentia excellebat, et ad Ciceronem de virtute accuratissime scripserat, nec de philosophia, nec de eloquentia, nec interdum de re publica cum familiari suo conveniebat.

Multis autem Cicero benevolentiam idcirco praestitisse videtur, quod commodis suis quodam modo servire possent. Quorum paucos sine ordine indicabo : poetam Thyillum, Lucceiumque historiarum scriptorem, a quibus exspectabat ut magnifice consulatum illum suum celebrarent[2]; Trebonium, qui Caesaris in Gallia legatus primum fuit, postea Ciceronis facete dicta edidit admiratusque est[3]; Curtium Niciam grammaticum, cujus consiliis usus est[4]; Tyrannionem, item grammaticum, qui libros tam belle ordinavit[5]. De Nigidio autem Figulo, quocum Carneadeo more et modo multa disputavit[6], plerumque Cicero ita locutus est, ut se in administranda re publica a Nigidio adjutum esse unice commemoraret. Nec cum Hortensio[7] de litteris saepius actum ; nunc vero ad ami-

1. Quantum Brutus a familiari suo dissederit aperiunt *Orat.*, 71, 237; *ad Att.*, 14, 20, 3; 15, 1^b, 2.

2. De Thyillo, vide *ad Att.* 1, 9, 2; de Lucceio, *Epist.*, 12, 25, 6; 12, 30, 5; 13, 41 et 42; *ad Att.*, 4, 6, 4; 4, 9, 2; 4, 11, 2.

3. *Epist.*, 15, 20; 15, 21.

4. *Ad Att.*, 7, 3, 10. De Curtio Nicia cf. *ad Att.*, 12, 26, 2, et Suetonii *de Grammat.*, 14.

5. *Ad Att.*, 12, 2, 2; 12, 6, 2.

6. *Timaei praefat.*, 1, 1. Vide A. Roehrig, *de P. Nigidio Figulo capita duo...*, Coburgi, apud E. Riemann, 1887.

7. Abbé Sallier, *Recherches sur la vie de Q. Hortensius*, in *Mémoires de littérature tirez des registres de l'Acad. royale des Inscript. et Belles-Lettres*, vol. VI, Paris, 1729, p. 500-513; — Luzac, *de Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo*, Lugduni Batavorum, 1710; — Cucheval-Berger, *Histoire de l'éloquence lat.*, vol. II, p. 315-338.

citiam Hortensii Cicero se conferebat, nunc ab illo alienabatur, prout honores petenti sibi periculaque propulsanti favebat Hortensius aut resistebat [1].

II

At inter doctos qui Ciceroni curae fuerunt viros, eos separatim consideremus, qui oratorum principem, discipulorum modo, sectati sunt. Nemo enim ignorat illa aetate Romae juvenes illos, qui foro et eloquentiae parabantur, ad clarum aliquem oratorem deduci solitos esse, qui orationibus ejus interessent ab eoque dicendi artem discerent [2]. Cicero igitur, qui vel pueros — ut erat ejus quam rhetorum eruditius et, ut ipse aiebat, θετικώτερον instituendi genus [3] — libenter erudiebat [4], a multis studiose auditus est, quorum studiis excitatum se oratiunculas etiam scribere dictitabat [5]. Discipulosne Ciceronis, quos quidem cognoverimus, nominatim proferamus oportet? Servius enim, Servii Sulpicii filius [6], Q. Volusius [7], A. Caecina [8], C. Scribonius Curio [9], M. Antonius [10], cui postea nemo Cicerone infensior, Messalla Corvinus [11],

1. De Hortensio queritur M. Tullius inprimis in epistulis : *ad Att.*, 3, 9, 2; *ad Q. fr.*, 1, 3, 8. — Vide etiam *Epist.*, 3, 8, 9.
2. Tacit., *Dial. de orat.*, 34.
3. *Ad Q. fr.*, 3, 3, 4.
4. De Lucullo puero vide *de Fin.*, 3, 2, 8-9; de Crassis, *Epist.*, 5, 8, 2; quaedam de instituendo Leptae filio suadet in *Epist.*, 6, 18, 4-5.
5. *Ad Att.*, 2, 1, 3. — Cf. 4, 2, 2.
6. *Epist.*, 4, 3, 4; 4, 4, 5; 13, 27, 4.
7. *Epist.*, 5, 10ª, 2.
8. *Epist.*, 6, 9, 1.
9. *Epist.*, 2, 1, 2.
10. *In M. Antonium Philip.*, 2, 2, 3.
11. *Ad Brut.*, 1, 15, 1.

Brutus[1], Caelius, Hirtius, Pansa, Cassius, Dolabella, Plancus[2] quicquid eloquentiae habuere, a Cicerone habuerunt. Quos vel in media aetate, vel in senectute docuit; « quid enim est jucundius, inquit, senectute stipata studiis juventutis ?[3] »

Sed non jucunditatem tantum discipulos excipiendo consectabatur. Postquam enim instituendis illis majorem famam quaesierat, in eorundem voluntate spem habebat. « Te rogo », inquit ad C. Curionem scribens[4], « ut memineris, quantaecumque tibi accessiones fient et fortunae et dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut aetas nostra jam ingravescens in amore atque in adulescentia tua conquiescat. » Quid autem de declamationibus dicam, quibus amicos Caesaris, cum Caesar omnia posset, eloquentiam docebat? « Haud amo vel hos designatos », inquit Hirtium et Pansam significans, « qui etiam declamare me coegerunt[5] ». At necesse esse putabat illos, Dolabellamque et Cassium[6], apud se declamitare, se apud illos cenitare[7], ut se quam maxime familiari suo Caesari conciliarent[8].

1. *Brut.*, 6, 23.
2. Vide Ellendt, *Hist. eloquentiae rom.*, p. 61. Calidium quoque Ciceronis discipulum fuisse asseverat Lantoine, *de M. T. Cic. contra or. Att. disp.*, p. 46.
3. *Cato maj.*, 9, 29.
4. *Epist.*, 2, 1, 2.
5. *Ad Att.*, 14, 12, 2.
6. *Epist.*, 7, 33, 2. Immo ad Dolabellam librum aliquem mittere cupiebat simul nec audebat : « Volo Dolabellae valde desideranti, non reperio quid, et simul αἰδέομαι Τρῶας, neque, si aliquid, potero μέμψιν effugere. » (*Ad Att.*, 13, 13, 2; cf. 13, 10, 2.)
7. *Epist.*, 9, 16, 7; 9, 7, 1.
8. *Epist.*, 9, 18, 1; 6, 12, 2. — Interfecto Caesare, Cicero amore cona-

Discipulos vero nonnumquam beneficiis affecit. Caecina enim, cum probrosa quaedam in Caesarem scripsisset, ut dolorem Caesaris et iram sublevaret, libellum composuit, quem magistro Ciceroni legendum et corrigendum permisit. Cicero igitur, utpote cui propositum esset Caesarem ad ignoscendi voluntatem deducere, effecit ut Caesar, eximio Caecinae ingenio delectatus, in gratiam exsulem revocaret[1]. Caelium[2] autem, ad se a patre deductum, non modo instituit, sed, cum acri ingenio esset[3] studiosusque magistri discipulus[4], unice dilexit, et cum sibi prodesse in re publica posset Clodiaque a gente oppugnaretur, in discrimine capitis defendit. Quo autem animo Caelii causam egerit, quam magnifice de emendando amico fidem dederit[5] cum bene sit notum, quibus officiis Cicero non discipulos, sed alios viros doctos prosecutus sit jam videamus.

III

Roscii[6] enim rogatu, quamquam histriones contemnere solebat[7], P. Quinctii causam egit[8], ipsumque postea

tus est, quo erga se discipulos incenderat, rei publicae satisfacere; vide *ad Att.*, 14, 21, 4; 14, 22, 1; *de Fato*, 1, 2.

1. *Epist.*, 6, 5-8.

2. *Pro Caelio*, 4, 10, sqq.; Quintil., *de Inst. orat.*, 12, 11, 6. Vide Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 167-219.

3. Quintil., 10, 1, 115; 10, 2, 25.

4. Vide inprimis *Epist.*, 8, 16.

5. *Pro Caelio*, 32, 77-80.

6. Abbé Fraguier, *Recherches sur la vie de Q. Roscius le comédien*, in *Mémoires de litt. de l'Acad. roy. des Inscr. et Belles-Lettres*, vol. IV, Paris, 1723, p. 437, 456; — Hermann Göll, *l'Acteur Roscius*, in *Revue des cours littéraires de la France et de l'étranger*, 1870, p. 394-397.

7. *In M. Ant. Philip.*, 10, 10, 22; 11, 6, 13.

8. *Pro Quinctio*, 24, 77.

Roscium defendit, in ejusque familiaritatem penitus ita intravit, ut Marci amores ac deliciae Roscius a Quinto appellaretur [1]. Immo, comoedos saepissime magnificeque laudare ausus [2], populum Romanum oratione objurgavit quod Roscio in scaena gestum agente tumultuatus esset [3], et Aesopum pronuntiavit, summum et fortissimum artificem, « semper partium in re publica tam quam in scaena optimarum » fuisse [4]. « Nullus ignorat, inquit Macrobius, Roscio et Aesopo histrionibus tam familiariter usum Ciceronem, ut res rationesque eorum sua sollertia tueretur [5]. » Roscio quidem et Aesopo magistris, quod in agendo deforme habuerat sustulit [6], Aesopusque, Accii *Brutum* agens, cum senatusconsultum factum esset ut M. Tullius restitueretur, quos potuit versus ad Ciceronem convertit spectatoresque jussit absentem consularem lugere [7]. Archiae autem causam M. Tullium suscepisse, ut simul artium optimarum causam susciperet, jam diximus. Gratiam vero poetae Cicero referre debebat, quod poesis litterarumque amore ab eo esset imbutus [8], Archiamque sibi conciliare studebat, ut inchoatum de consulatu suo carmen conficeretur.

Quid autem de commendaticiis epistulis dicam, quibus

1. *De div.*, 1, 36, 79.
2. De Roscio vide *pro Quinctio*, 25, 78; *pro Roscio com.; pro Archia*, 8, 17; *de Orat.*, 1, 27, 124; 1, 28, 130; 1, 29, 132; 1, 59, 251; 1, 61, 258; 2, 57, 233; 3, 26, 102; 3, 59, 221.
3. Macrobii *Saturnal.*, 3, 14, 12.
4. *Pro Sestio*, 56, 120—58, 123.
5. Macrobii *Saturnal.*, 3, 14, 11. — Epistula *ad Q. fr.*, 1, 2, 4, 14, M. Tullius Quintum rogat ut Aesopi servum Licinium, qui aufugerit et in Asiam venerit, comprehendat et in Urbem secum deducat.
6. Plutarchi *Ciceronis vita*, 5. — Cf. Macrobii *Saturnal.*, 3, 14, 12.
7. *Pro Sestio, l. l.*
8. *Pro Archia*, 1, 1; 6, 12.

doctorum hominum utilitati consuluit? Nonne familiaribus suis Patronem philosophum [1] commendavit, Luciumque Valerium jureconsultum [2], Quintumque Aelium Tuberonem, qui annales conscribebat [3], Apolloniumque P. Crassi libertum, qui apud Ciceronem cum Diodoto multum a puero fuerat et litteris graecis res Caesaris gestas cupiebat mandare [4], multosque etiam quos, non omnino litteris deditos, summa humanitate tamen liberalibusque studiis ornatos esse praedicabat [5]? Ex his certe commendationibus Ciceronem hominibus eruditis libenter operam dedisse apparet; quatenus vero illis potissimum studuerit nescimus, quoniam eruditorum plerique non ob studia tantum communia, sed alias etiam ob causas illi placebant, permultosque homines Cicero, quippe qui, partim rei publicae, partim sibimet ipsi ut benefaceret, omnes sibi averet conciliare [6], familiaribus omnibus commendabat [7].

IV

Restat ut perpendamus quae vis in nobili illo Catulli de M. Tullio carmine insit, numque Lucretii *de Rerum natura* libros magni fecerit Cicero et ediderit. Nec

1. *Epist.*, 13, 1, 2 (ad Memmium).
2. *Epist.*, 3, 1, 3 (ad Appium Pulchrum). — Cf. *Epist.*, 1, 10.
3. *Ad Q. fr.*, 1, 1, 3, 10.
4. *Epist.*, 13, 16, 3-4 (ad Caesarem).
5. A. Fufium (*Epist.*, 13, 3), T. Pinarium (12, 24, 3), M. Terentium Varronem Gibbam (13, 10, 2), Q. Fufidium (13, 12, 1), T. Manlium (13, 22, 1).
6. « Enitor ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. » *Epist.*, 1, 9, 17 (ad Lentulum).
7. Liber *Epistularum* 13 non nisi commendaticias epistulas concludit, quae numero 79, et inter eas duplices quaedam, exstant.

tamen multa de Catulli carmine verba facere audeo, cum tam copiose tamque sapienter doctissimus homo, Otto Harnecker, quam falsa sint quae de hoc carmine dixerunt multi ostenderit, et quo spectent Catulli versus demonstraverit [1]. Haec enim Catullus scripsit:

> Disertissime Romuli nepotum,
> Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
> Quotque post aliis erunt in annis,
> Gratias tibi maximas Catullus
> Agit pessimus omnium poeta,
> Tanto pessimus omnium poeta
> Quanto tu optimus omnium patronus [2].

Quis his versibus significari jure credat vel Ciceronis amicitia et patrocinio Catullum usum esse [3], vel contra Ciceroni infensum, ut qui Licinii Calvi esset familiaris, fuisse [4]? Quis levidensi carmine et in quo non nisi de eloquentia et de poetica virtute agitur Catullum vel Ciceroni gratias agere, quod se cum Clodia conjunxerit [5] aut adversus eandem Clodiam familiarem suum Caelium defenderit [6], vel contra in Ciceronem invehi, quod

1. O. Harnecker, *Qua necessitudine conjunctus fuerit cum Cicerone Catullus* (*städt. Gymnasium zu Friedeberg Am. Programm*, 1882); itemque *Cicero und Catullus* (*Philologus*, vol. XLI, a. 1882, p. 465-481). O. Harneckeri sententiae postquam obstiterat, mox assensus est C. Jacoby (vide *Revue des Revues*, a. 1884, p. 111, et a. 1886, p. 197).

2. Carmen 49.

3. *Histoire de Cicéron tirée de ses écrits et des monuments de son siècle...* (a Middleton scripta), Paris, Didot, 1743, vol. IV, p. 344; J.-V. Leclerc, v. 1, p. 336, et in *Tusc. disp.* praefatione.

4. J. Süss, *Catulliana*, Theil I, Erlangen, 1876, p. 30; Benoist, in *les Poésies de Catulle, trad. en vers fr. par* E. Rostand, *texte revu d'après les travaux les plus récents de la philologie...*, Paris, Hachette, 1882, vol. II, p. 489.

5. Westphal, *Catulls Gedichte in ihrem geschichtlichen Zusammenhange übersetzt und erläutert*, Breslau, 1867, p. 241.

6. Schwabe, *G. Valeri Catulli liber*; vol. I, *Quaestionum Catullianarum lib. I*, Gissae, 1862, p. 127.

immanissimum hominem, Vatinium, tum accusaverit, tum tutatus sit [1]? Lasciviae quidem aliquid in illo carmine facillime reperias; nonne vero qui ironia refertum esse carmen volunt [2], illis de memoria excidit quam acerbis facetiis inimicos Catullus suos praestrinxerit [3]? Nonne item qui inter se obtrectasse scriptores ambos volunt, illis de memoria excidit communibus ambos amicis usos esse, Cornelio Nepote, Caelio, aliis, nec umquam a Cicerone oppugnatum esse Catullum [4]? Quam igitur e Catulli carmine conjecturam facere possimus Kubik ostendit : « Cum Catullus aut audivisset ipse ex ore Tullii aut aliunde comperisset benignum quod ille de carminibus ejus fecerat judicium, viro clarissimo gratias egit eo quo utebatur more, jocis seriis mixtis, ita ut blanditiis simul aculeos quosdam immisceret [5]. » Fastidiosi tamen aliquid in oratoris judicio fuisse suspicor, cum Cicero, qui Alexandrinos juvenis sectatus esset, nunc veteris Graeciae potissimum poetas admiraretur. Qualis autem usus Catullum inter et Ciceronem intercesserit ex ea quam modo laudavi disputatiuncula probabiliter discimus : « Saepius Ciceronem cum Catullo rem habuisse ex satis magno amicorum, quos uterque complectebatur, numero, satis superque probatur. Itaque leviori usui victusque consuetudini locus optime datus videtur. Natura autem et ingenio tam diversus erat

1. Süss, *Catulliana*, p. 30; Benoist, p. 489.
2. Jahn, Ribbeck, Süss, Schulze, Benoist.
3. Cf. O. Harnecker, *Qua necessitudine...*, p. 8; *Cicero und Catullus*, p. 476-479.
4. De Ciceronis adversus « cantores Euphorionis » verbis (*Tusc. disp.*, 3, 19, 45; *ad Att.*, 7, 2, 1), vide Harnecker, *Qua necessitudine...*, p. 2-3; *Cicero und Catullus*, p. 466-468.
5. Kubik, *de M. T. Cic. poet. lat. st.*, p. 344.

orator clarissimus, ut familiaritatem inter utrumque nullam statuamus. Sed inimicitiarum quoddam vestigium plane cognosci non potest [1]. »

At M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse a C. Plinio accepimus [2]. Qua fortasse benignitate adductus, Lucretii libros emendavit et edidit.

Quae de Titi Lucretii natali et morte memoriae prodiderint Hieronymus et Donatus, a Suetonio mutuati, referre non oportet, cum Lucretium anno Urbis conditae 699 interisse inter doctos hodie plerosque constet [3]; libros autem *de Rerum natura* a Cicerone emendatos esse cum Hieronymus asseveret, nullam video esse causam cur contra dicere quis audeat. Nam *de Rerum natura* libros, quos de scriptoris manu inchoatos ac rudes excidisse perspicuum est, ab ipso Lucretio in publicum proditos esse meritissimo infitiatus est Lachmann [4]; nec contra eidem viro docto assentiri possumus, cum, quamquam praenomen nullum posuit Hieronymus, non a majoris nominis fratre, sed a Quinto Tullio Lucretii opus editum esse prave judicaverit [5].

1. O. Harnecker, *Qua necessitudine...*, p. 8.

2. Plinii *Epist.*, 3, 15, 1. Cicero ipse poetarum se semper ingenia dilexisse dixit (*pro Sestio*, 58, 123), Torquatumque et Triarium ad evolvendos poetas hortatus est (*de Fin.*, 1, 21, 72). Teuffel tamen haud verisimile quod Plinius scripsit judicat, § 203, 2.

3. *Caroli Lachmanni in T. Lucretii Cari de Rerum natura libros commentarius tertium editus*, Berolini, typis et impensis G. Reimeri, 1866, p. 62; — H.-A.-J. Munro, *T. Lucr. Cari de Rerum natura libri sex...*, fourth edition, Cambridge, Deighton, Bell and C°, 1886, vol. II, p. 1; — *Lucrèce, de la nature des choses, V° livre..., texte latin publié par* E. Benoist *et* Lantoine, Paris, Hachette, 1884, p. 57 (Benoist); — Max Bonnet, in *Revue critique*, 1876, vol. I, p. 382.

4. Lachmann, p. 18, 62, 84, 222, 295.

5. Lachmann, p. 62-63; Bernhardy, p. 532; vide contra Munro, II, 2-3, et Fr. Buecheler in praefatione libelli qui inscribitur *Quinti Ciceronis reliquiae*, Lipsiae, in aedibus Teubneri, 1868, p. 23-24.

Paucis autem postquam Lucretius defunctus est mensibus, carmen ejus in Ciceronum manibus fuisse ex epistula Marci apparet, qua ad fratrem scribit : « Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt : multis luminibus ingenii, multae tamen artis; sed, cum veneris, virum te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo [1]. » Quam saepe conjecturis temptatus sit hic locus longum est narrare [2], qui tamen emendatione nulla egere et verum de Lucretio judicium comprehendere nobis videtur. Quid enim? cum nonnulli veterum, qui Romae fuerant, poetarum *ingenio maximi*, *arte rudes* fuissent, cumque aequalium plerique, arte laudandi cum essent, ingenio carerent, consentaneum est Ciceronem his verbis : « multis luminibus ingenii, multae *tamen* artis » Lucretii carmen celebrasse. Quod vero vocabulum hoc « poemata » usurpavit, cum poemata « vel a Cicerone, vel a Varrone, Catullo, aliis, carmina dicantur minora diffusa, singillatim contexta, non una perpetuaque poesis [3] », non efficitur ut operis partes a vivo Lucretio secum communicatas esse Cicero significet [4]; at cum multi librorum loci nunc etiam male inter se cohaereant,

1. *Ad Q. fr.*, 2, 9, 3.
2. *Non multis luminibus* : Ernesti, Lachmann, p. 18, Orelli ed. 2, Bernhardy, p. 532, Nisard (vide Ch. Nisard, *Notes sur les lettres de Cic.*, p. 65); Crouslé, *Extraits de Lucrèce, avec une introd., un commentaire critique et des notes*, Paris, Belin, 1866, p. XIX. — *Non multae tamen artis* : Th. Bergk, *Ciceronis de Lucretio judicium*, Marburgi, 1846, p. V. — *Multae etiam artis* : Baiter et Kayser, Wesenberg, Buecheler, p. 23, Teuffel, § 203, 2 (ed. III); Kubik, p. 342. — *Multae tamen artis esse cum inveneris* : Munro, II, 19. — Multi locum omnino turbaverunt; nihil contra mutaverunt J.-V. Leclerc, vol. XXV, p. 140, Patin, *Études sur la poésie lat.*, I, 94, Schwabe apud Teuffel, ed. V, alii.
3. Buecheler, p. 23. — Cf. tamen Aulum Gellium, 1, 21, 5 : « In carminibus Lucretii », et Velleium, 2, 36, 2 (Teuffel, § 203, 2).
4. Buecheler, p. 24; Friedrich Polle, *Die Lucrez Litteratur seit Lachmann und Bernays* (*Philologus*, vol. XXV, a. 1867, p. 499).

nonne verisimile est Ciceronem separata nec a Lucretio perfecta carmina poematum nomine appellasse?

Occurritur tamen adhuc nobis a viris doctis, qui, quod pauca de Lucretio in ea quam attulimus epistula, nihil autem vel in aliis epistulis, vel in suis libris dixerit, victos nos putant. At Quintus tum, cum ad illum litteras frater mittebat, nuperrime ab Urbe ita profectus erat, ut « nihil ad scribendum argumenti » M. Tullius haberet [1]; paucosque post dies in Urbem reversus est [2]. Quo fit ut Quintus, quoniam Marco de Lucretii opere et paullo ante locutus erat et paullo post locuturus, paucis et minus accuratis verbis contentus esset. Ante autem quam epistulae ad Quintum missae sunt, brevissima mense novembri data erat ad Atticum (IV, 13), cum fortasse Lucretius e vita nondum excesserat; post autem quam missae sunt, una data mense aprili ad Caesarem est, una mense maio ad Trebatium [3]; Atticus vero, quocum de Epicureo poeta colloqui Ciceronem aequum erat, Romae tum cum familiari suo morabatur. Quid autem de M. Tullii qui sunt de philosophia libris dicam? In quibus qui magno opere Epicurum Epicureosque lacessivit [4], illum editi de rerum natura carminis ita puduisse con-

1. *Ad Q. fr.*, 2, 9, 1.
2. A. Aem. Koerner contendit epistulam *ad Q. fr.*, 2, 9, A. U. C. 700, ante. III Id. febr. scriptam esse, — 2, 10 Id. febr., — 2, 11 postridie Id. febr. Vide Koerner, *De epistulis a Cicerone post reditum usque ad finem anni A. U. C. 700 datis quaestiones chronologicae*, Misniae, 1885, p. 66 et 36-37. — Cf. Gerardum Rauschen, *Ephemerides Tullianae rerum inde ab exsilio Ciceronis (mart. LVIII a. Chr.) usque ad extremum annum LIV gestarum*, Bonnae, 1886, p. 15.
3. Koerner et Rauschen. Hic tamen mense januario epistulam dicit ad M. Crassum missam esse (*Epist.*, 5, 8).
4. Vide *post red. in sen.*, 6, 14-15; *de Re publ.*, 3, 16, 26; *Tusc. disp.*, 3, 21, 50-51; 5, 26, 73; 5, 31, 88; *de Nat. deorum*, 1, 26, 71; 2, 29, 74; *de Div.*, 1, 3, 5; *ad Att.*, 2, 3, 2; 7, 2, 4; *Epist.*, 15, 16; 15, 18, 1.

sentaneum est, ut de Lucretio taceret, cum praesertim recentium scriptorum nomina silentio soleret praeterire [1]. Multa vero Lucretii cum imitatus sit [2], quis illi contendat poetae opus ignotum fuisse? Quare, sive Attico Memmiove gratum fecit, sive cum Lucretio, qui conversum de Graeco Aratum saepius interpretatus est [3], aliqua necessitudine conjunctus Cicero fuit [4] (quam multis enim Epicureis Epicuri adversarius ille usus est [5]!), libros certe *de Rerum natura* emendavit et edendos ipse curavit. Quam autem raptim, quam parum apte emendatum sit, corruptum ipsum opus et commentarii quibus a doctissimis viris Lachmann et Munro illustratum est satis superque declarant.

1. Munro, II, 173.
2. Vide J.-V. Leclerc in *de Div.*, 2, 28, 60; Munro, II, 172-173; C. Martha, *le Poème de Lucrèce, morale, religion, science*, 3e édit., Paris, Hachette, p. 350-352.
3. Munro, II, 9. — Cicero et Lucretius Ennium aeque admirabantur (vide *de Rerum nat.*, I, 62 sqq.; VI, 1 sqq.).
4. Vide Sellar, *The Roman Poets of the Republic*, new edition..., Oxford, at the Clarendon Press, 1881, p. 280.
5. Olleris, *de Phaedro Epicureo*, p. 50.

CONCLUSIO

M. Tullium a natura ita informatum fuisse constat, ut optimas adamare artes, et, quicquid in litteris esset adortus, rem ex sententia gerere posset. Litterarum igitur amator a puero exstitit, simulque in philosophia, in historia, in aliis artibus multis, feliciter est versatus, et, cum ad ea, quaecumque elegisset, luculenter scribenda esset idoneus, hanc certe vim habuit, ut in philosophorum gravissimis et in historiarum scriptorum ornatissimis et in aliarum artium auctorum nobilissimis ipse aliquando annumeraretur.

Litteras vero colendas adipiscendis magistratibus et gerendae rei publicae posthabuit. Cum enim laudis avidissimus esset industriamque suam Romae illustrare ita cuperet, ut in Urbis luce vivere solam vitam, omnem peregrinationem obscuram esse et sordidam judicaret [1]; cum praeterea eos, qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum, cura rei publicae teneri civitatemque regere aequum esse censeret [2], unam acri animo ingressus est

1. *Epist.*, 2, 12, 2 (ad Rufum).
2. *De off.*, 1, 21, 72.

viam, qua ad honores accedere homo novus posset [1] : eloquentiae studio deditus, summo opere eum se efficere conatus est, qui, patronorum optimus, hunc defenderet, illum in judicium adduceret, multos in fidem clientelamque reciperet, magnam denique laudem consequeretur.

Causas igitur diu dixit itaque dicere assuevit, ut, vel cum publico munere fungeretur et de publicis loqueretur rebus, genere potissimum judiciali servato aut in aliquem aut pro aliquo omnem orationem haberet [2]. Quo factum esse ut causidicorum vitia, quibus imbutus ad rem publicam adisset, numquam omnino posuerit Boissierius docet; et nosmet ipsi, subtilis auctoris vestigiis ingredientes, quam malam retinuerit consuetudinem cum de arte dicendi, aut de philosophia, aut de historia scribat, possumus fuse explicare. Quod cum, ne ab eo quod proposuimus digrediamur, omittamus, liceat tamen dicere Ciceronem, postquam diu causarum omnia genera susceperit, non potuisse non in omni quaestione in contrarias partes disserere, nedum quid veri dicendum esset disceptaret; et, postquam vincere diu ita contenderit, ut vel mendaciunculis causam auderet adspergere, non potuisse illum non eloquentiae luminibus et quasi praestigiis legentes allicere, nedum seque et legentes penitus in doctrinam demitteret. Quamobrem, cum lectorum gratiam pararet, minus philosophiae, ut exemplo utar, studio tenebatur quam teneri se persuasum habebat [3].

1. Lege Poiret, *Essai sur l'éloquence judiciaire à Rome pendant la République,* Paris, Thorin, 1886.
2. Vide Boissier, *Cic. et ses amis*, p. 44 sqq.
3. *De leg.*, 1, 24, 63.

Ceterum, postquam honoribus operam dedit, non sibi, sed iis morem gessit a quibus posset amplissimis muneribus decorari. Plebis igitur et optimatum simul ut judiciis obtemperaret, hic rudem et indoctum esse se fingebat, illic signorum tabularumque pictarum curiosum se gerebat, scriptionesque suas hic excusabat, illic eis gloriabatur, quin immo ita secum ipse videtur pugnare, ut secum ipse pugnare facillime videatur qui de Cicerone plura narret. Cum autem rem publicam tantum, quantum ferret facultas, procuraret, in animum hoc induxit, tum demum litteras esse colendas, cum nihil aliud, vel foro, vel Curiae accommodatum, agere posset; verbaque haec ipse ab Urania musa sibi pronuntiata esse finxit :

Quod patriae vacat, id studiis nobisque sacrasti [1].

Quin etiam, cum, a re publica exclusus, litteris, ut ipse aiebat, se abderet, nullo pacto consularem fugiebat quid partibus quas teneret prodesse, quid gloriae quam in civitate esset consecutus addere cumulum posset. In libris igitur contionabatur, rei publicae et laudi suae favebat. Nec quo patriae amore et qua superbia flagrarit omittam, cum Graeciae doctrinam eripere, et Romam quicquid Athenis tam diu laudi fuisset perferre conaretur.

Quae autem et quanta de litteris meruerit, poetas, oratores, litterarum quemque amicissimum defendendo, protegendo, diligendo, haud facile est explorare. Cum enim saepius se minime ingrato animo esse professus sit, multorum eum temporibus operam adhibuisse quod beneficium aliquod ab iis accepisset minime est incredi-

1. *De div.*, 1, 13, 22.

bile. Cum autem eundem laudum et potestatis avidum fuisse multa indicent, haud injuria ideo putabitur aliorum patrocinium suscepisse quod laudem aliquam aut auxilium se ab iis accepturum esse speraret.

Honoribus igitur et famae in re publica quaerendae Cicero potissimum inservivit, non ita tamen ut studiorum, e quibus is, quicumque esset, evasisset, immemor umquam fuerit, nec ut de artium optimarum amore, quo adulescens exarserat, multum umquam deminuerit. Immo illum paenituit aliquando quod plus honoribus, litteris minus condonavisset, cum se non rudem certe, sed in studio minus fortasse quam vellet, in rebus atque usu plus etiam quam vellet versatum esse significaverit [1]. Qui enim non intellegeret nobilissimus scriptor non solum pro administrata egregie abstinenterque re publica, sed pro habitis perdiserte orationibus librisque eximie compositis suum nomen memoriae traditum iri? Se igitur gloriatus est primum, post illum tamen quocum libenter se conferebat Demetrium Phalereum, utraque re excellere, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset [2]; idemque forensibus suis rebus etiam domesticas litteras responsuras esse sperabat [3]. At multo plus colendis litteris quam adipiscendis honoribus profecit. Etenim, cum rem publicam curaret, magnis gaudiis exsultavit, sed, postquam cives suos servavit, multi in eum redundaverunt ex fonte illo dolores; singularem gloriam consecutus est, sed conjunctam cum invidia ac multorum inimicitiis; posterorum plerisque laudandum

1. *Epist.*, 6, 10, 5 (ad Trebianum).
2. *De leg.*, 3, 6, 14.
3. *Orat.*, 43, 148.

se praebuit, sed nonnullis vituperandum. Litteris contra cum studeret, casus adversos si non est consolatus, sapientius tamen pertulit, animoque lenitus est; aequalium admirationem movit, paucorum in se concitavit invidiam, quam facillime superavit; posteris magnifice praedicandum se effecit, quod de artibus optimis egregie meritus esset, clarissimosque inter scriptores non mediocrem locum obtineret.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum in Sorbona,
a. d. IV. kal. april. anni MDCCCXC:
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur :
Academiae Parisiensis rector,
Gréard.

INDEX

CAPUT III

CAPUT IV

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD et GALLOIS.

COLUMBARIIS
Ex typis Pauli Brodard et Gallois.